2

DEFENSIO
Auguſtiſſimi Romanorum
IMPERATORIS JOSEPHI,
Contra
Curiæ Romanæ
BULLAS,

Inſtituta
à
JOH. WOLFGANGO JÄGERO,
Cancellario Tubingenſi.

TUBINGÆ,
Apud JOAN. GEORG. COTTAM.
ANNO MDCCIX.



Prooemium.



Uanquam Invictissimus noster Cæsar alieno & maximè Academico auxilio opus non habeat, ad debellandos suos atque Imperii hostes, quod pulcherrimi illi Triumphi & Victoriæ satis ostendunt: Nihilominùs, quia jam armis Ecclesiasticis, præter omne Jus & fas oppugnatur, & Roma Romanorum Imperatorem Augustissimum per *fulmina* Banni spiritualis terrere conatur; Par est, ut fideles Subditi sese pro Sacratissimo Capite moveant, & Publico ostendant, quam iniquæ sint illæ Bullæ, quæ non ex MOTIVO Spirituali, sed Carnali, hoc est, proprii Commodi & INTERESSE vibrantur; & quam degener sit præsens Curia Romana à Majorum vestigiis, hoc est, quantum Clemens XI. ab Innocentio XI. differat: Etenim quanto zelo laudatissimus ille Episcopus Romanus, (quem utique honorem non invidemus, si intra certos à Spiritu S. præscriptos Cancellos clauderetur) causam Aquilæ Romanæ defenderit, Albanum seu Clementem XI. latere non potest. Perennabit ejus memoria, dum gratus erit Christianismus. Quòd enim Cornua Turcicæ Lunæ sint fracta, res fuit post DEUM Innocentii XI. Quòd Hungaria è vinculo Barbarorum, & Germania à Panico terrore est liberata, pariter ex multis titulis Innocentio debetur. Quòd in ipsa Roma licentia peccandi repressa, quòd scandalosissimus Nepotismus fuit ablatus, opus est Innocentii XI.

Ab omnibus istis Virtutibus longissimè abit Clemens XI. qui si posset, Hispaniam præter omnem justitiam & fas Gallo attribueret: Italiam sibi servaret, atque Austriacæ Domûs Jura interverteret. Quin ipsam Germaniam peregrinæ ambitioni subjiceret, non ductus à Spiritu, qui in festo Pentecostali Petrum fecit infallibilem, sed à lubrico vento, qui è Gallia spirat. Quæ sanè ita sunt comparata, ut liquidò ostendant, à multis retro seculis, non fuisse Pontificem, qui magis contra Regulam Justitiæ & contra Leges gratitudinis peccârit, quàm Clemens XI., cùm satis sciat, aut ad minimum scire debeat, quòd omnia, quæ in Italia possidet, ex donationibus & liberalitate Imperatorum, salvo tamen Jure summo, possideat. Quod ut per partes demonstremus, primò in lucem producemus infaustam illam Bullam, quæ planè nihil ex genio mansuetudinis & humilitatis Christi, neque Petri, nec Gregorii M., nec Innocentii XI. habet, sed potius magnam arrogantiam & abusum spiritualis potestatis summum spirat: Deinceps inquiremus, quæ sit Origo *Bonorum Ecclesiasticorum.* Ubi simul ostendemus, quòd Ecclesia ejusq. Sacerdotes nunquam *sanctiùs* vixerint, quàm sub PAUPERTATE. Tertiò, quòd Jure Divino Pontifici nullum competat DOMINIUM temporale. Quartò, quòd in lite hac nemo minus possit esse Judex, quàm Clemens XI. Quintò, quòd ingens sit abusus Clavis ligantis, dum contra Sacratiss. Imperii Caput, & Ecclesiæ Defensorem ob REM TEMPORALEM Fulmen SPIRITUALE fuit vibratum.

Tu, ô supreme Rerum Arbiter, qui solus Sceptra & Coronas dispensas, & qui talem imposuisti Invictissimo nostro Josepho, quam nulla TERRENA POTESTAS labefactare potest, & pro Cujus Firmitate tota Ecclesia sanctior pias preces fundit. Tu, inquam, Sanctissime DEUS, fac, ne quicquam dicamus, nisi quod cum Sacro Sancto Verbo Evangelii, quod verè est AUREA BULLA, conspiret.

Bulla



Bulla Pontificis Romani
Contra
IMPERATOREM ROMANUM
JOSEPHUM,
Romæ edita
Anno M D CC VII.

CLEMENS PAPA XI.
Ad futuram rei memoriam.



„D Apostolatûs Nostri notitiam non sine gravianimi Nostri „molestia ante aliquot menses pervenit, quod cùm priùs, videlicet mense Novembri proximè præterito, nonnullæ „Germanorum militum legiones in plura loca Ducatûs Parmæ „& Placentiæ ex inopinato irrupissent, dictorumque locorum incolis „plurima, & sanè gravissima damna intulissent, ac insuper legionum „hujusmodi Ductores vel Moderatores hybernas ibidem stationes de fa„cto, ac violenter se figere velle declarassent: nec ad mala ista averten„da quidquam profuissent, plures tàm à directo filio Nobili Viro Fran„cisco Farnesio, Parmæ & Placentiæ Duce, quàm à dilectis filiis Com„munitatibus & hominibus Civitatum Parmensis & Placentinæ addu„ctæ rationes eò potissimùm fundamento innixæ, quòd Ducatus ipse, & „ejus loca prædicta, Nobis & huic Sanctæ Sedi, etiam in TEMPORALI„BUS, mediatè subjecta essent, ideoque ab ejusmodi oneribus, ac gra„vaminibus libera prorsùs, & immunia esse deberent; tandem mense „Decembri subsequenti, Communitatibus & hominibus præfatis assen„tibus, qui tamen vi, & necessitate coacti, nec alio, quàm imminentia „graviora mala propulsandi consilio, hæc peragere protestati fuerunt, „ipsoque Francisco Duce ob easdem rationes annuente, inita fuit super „præmissis quædam concordia in decem capitula, seu articulos distincta.

„ Porrò licèt explorati juris esset concordiam prædictam, quam non
„ quidem approbandi, sed penitus & omninò reprobandi animo præsen-
„ tibus inferendam duximus, utpotè Nostrorum & dictæ Sedis jurium,
„ nec non directi aut supremi dominii, Nobis & Sanctæ Romanæ
„ Ecclesiæ in Ducatu supradicto competentis, manifestè læsivam, nullius
„ prorsus esse roboris, & momenti; ac insuper notum esset fel. rec. Ur-
„ banum PP. IIX. Prædecessorem Nostrum, Apostolicæ Sedis, & Ro-
„ manæ Ecclesiæ præfatarum jura à quibuscunque præjudicialibus hu-
„ jusmodi, per quasdam suas die V. Junii M. DCXLI. expeditas literas
„ amplissimè præservasse; adeoque nulla prorsus opus esset ulteriori de-
„ claratione, ad hoc ut eadem concordia, tanquam irrita, inanis, ac in-
„ valida ab omnibus haberi deberet: nihilominùs, cùm ad Nos delata res
„ esset occasione petiti à Nobis beneplaciti super iis, quæ in nono capi-
„ tulo, seu articulo ejusdem concordiæ quoad portionem, seu taxam pe-
„ cuniarum à personis Ecclesiasticis tàm Secularibus, quàm Regularibus
„ Ducatûs prædicti persolvendam, sicut præmittitur, conventa fuerat,
„ Nos beneplacitum hujusmodi denegando, concordiam præfatam non
„ modò à Nobis approbari non posse, sed semper reprobari, ac damnari
„ debere non obscurè declaravimus; quinimò animo revolventes quàm
„ diras, omnique humanæ potestati terribiles censuras, & pœnas irro-
„ gent canonicæ sanctiones Spiritu DEI conditæ, quæque deterrima in-
„ geminatæ quotannis Ecclesiæ voces imprecentur iis, qui Ecclesiastica
„ jura violant, aut bona diripiunt, vel illis damna, & onera, divinis hu-
„ manisque legibus vetita inferre non verentur, per quasdam nostras ad
„ eundem Franciscum Ducem die v. Januarii proximè præteriti manu
„ Nostra conscriptas literas, eos omnes, qui loca prædicta, sicut præmit-
„ titur, invadere, illaque, ac supremam jurisdictionem in eis Nobis, &
„ eidem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ competentem perturbare, & vexare
„ & de facto præsumserunt, censuras, & pœnas supradictas incurrisse,
„ nec eis illas à Nobis quovis modo remissas, vel condonatas intelligi de-
„ bere, disertè significamus: sperantes, ubi hæc innotuissent, abundè suf-
„ ficere posse, ut redirent prævaricatores ad cor, absque eo, quod Nos
„ apertiùs ad severiora procedere cogeremur;

„ Cùm autem, sicut accepimus, non solùm studia hæc nostra opta-
„ to, quem sperabamus, fructu vacua remanserint, sed, quod maximè de-
„ plorandum est, personis Ecclesiasticis tàm Secularibus, quàm Regula-
„ ribus

„ tribus prædictis portionem, seu talem pecuniarum in dicto nono capi-
„ tulo, seu articulo, sicut præmittitur, conventam solvere meritò recusan-
„ tibus, eò quia necessarium ad id Nostrum, & dictæ Sedis beneplacitum
„ non modò non concessum, sed expressè, ut præfertur, à Nobis denegatū
„ fuerit, inaudito ac detestabili ausu plures militum turmæ in earundem
„ personarum Ecclesiasticarum domus, prædia, ac bona immissæ fuerint,
„ ibidem expensis personarum hujusmodi permansuræ, donec illæ tædio
„ affectæ portionem, seu ratam prædictam realiter, & cum effectu per-
„ solverint: hæc verò, quæ non, nisi summo omnium rectè sentiendum
„ horrore ac mœrore audiri potuerunt, nullatenùs tolerabilem libertatis,
„ immunitatis, ac jurisdictionis Ecclesiasticæ violationem importent,

„ Hinc est, quod Nos, qui omnia paternæ charitatis officia, quæ pro
„ ejusmodi tollendis malis sedulò adhibere curavimus, vana hactenùs, &
„ inania experti fuimus, quique ex commissi Nobis divinitùs Pastoralis
„ muneris debito, quorumcunque eidem Romanæ, aliique inferioribus
„ Ecclesiis, nec non quibusvis personis, & bonis Ecclesiasticis compe-
„ tentiam jurium assertores in terris à Domino constituti sumus, tamen
„ non dubitemus, Venerabiles Fratres Episcopos illarum partium, quo-
„ rum zelum excitare non prætermisimus, strenuè ac fortiter hac in re
„ muneris sui partes impleturos esse, & forsan etiam jam implevisse, ac
„ insuper certò credamus, tam iniqua militum facinora, ac etiam ini-
„ quiora consilia longè ab æquissima charissimi in Christo Filii Nostri
„ Josephi Romanorum Regis in Imperatorem electi, mente aliena esse,
„ quin imò ipsum in eos, qui illa perpetrarunt, severè, ut omnis justitia
„ exigit, animadversurum esse speremus: nihilominùs, ne in tanta Ec-
„ clesiæ afflictione diutiùs silentes, ac Sacerdotibus Ministris Domini
„ inter vestibulum & altare plorantibus, & dicentibus: Parce Domi-
„ ne, parce populo tuo, & ne des HÆREDITATEM tuam in opprobrium;
„ otiosi ac desides, incumbenti Nobis Apostolicæ servitutis officio deesse
„ videamur, ac nimiâ longanimitate proditæ Ecclesiasticæ libertatis, de-
„ sertæque turpiter DEI CAUSÆ Rei efficiamur, exurgentes in Domino,
„ ac tàm memorati Urbani Prædecessoris, quàm rec. mem. Leonis PP.
„ X. etiam Prædecessoris Nostri, qui per quandam suam octavo Kalend.
„ Junii anno M D XV. editam constitutionem personas omnes etiam spe-
„ cifica, & individua mentione dignas, qua Civitates, Terras, & Loca
„ ad dictam Romanam Ecclesiam mediatè vel immediatè pertinentia,
„ præ-

„ præſertim verò Parmenſem & Placentinā Civitates invaſiſſent, Excommunicavit, Anathematizavit, ac Maledictionis & Damnationis Æternæ Mucrone percuſſit, veſtigia ſectantes; ac inſuper Apoſtolicis literis, quas plurimi Romani Pontifices Prædeceſſores Noſtri die Cœnæ Domini legi, & promulgari fecerunt, & Nos ſimiliter ſingulis annis legi, & promulgari fecimus, ac ſignanter Canonibus decimo octavo, & vigeſimo literarum hujuſmodi, firmiter inhærentes, motu proprio, & ex certa ſcientia, & maturâ deliberatione cum Noſtris, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, præinſertam concordiam, ejuſque articulos, & capitula quæcunque, cum omnibus & ſingulis in eis, eorumque quolibet conventis, ac inde ſecutis, & quandocunque ſecuturis, ipſo jure nulla, itrita, invalida, injuſta, damnata, reprobata, inania, viribuſque & effectu penitùs & omninò vacua ab ipſo initio fuiſſe & eſſe, ac perpetuò fore, neminemque ad illorum, ſeu cujuslibet eorum, etiamſi juramento vallata ſunt, obſervantiam teneri, imò nec ea à quopiam obſervari potuiſſe, nec ex illis cuiquam aliquod jus vel actionem, aut titulum etiam coloratum, vel poſſidendi aut præſcribendi cauſam acquiſitam, vel acquiſitum fuiſſe, vel eſſe, aut quandocunque acquiri vel competere poſſe, neque illa ullum ſtatum facere, vel feciſſe, ſed perindè ac ſi nunquam emanaſſent, vel facta non fuiſſent, pro non extantibus, & non factis perpetuò haberi debere tenore præſentium declaramus. Et nihilominùs ad abundantiorem cautelam, & quatenùs opus ſit, illa omnia & ſingula motu, ſcientiâ, deliberatione, ac poteſtatis plenitudine pariter, damnamus, reprobamus, caſſamus, irritamus & annullamus, viribuſque & effectu penitus & omninò vacuamus.

„ Firmas præterea, ac ſalvas eſſe volumus, atque decernimus, quæcunque Censuras & Poenas Ecclesiasticas, quas ii omnes, qui præmiſſa perpetrarunt, ab Epiſcopis ſupradictis juxta ea, quæ ipſis mandavimus palàm, & publicè de more denunciandi, &c. &c. &c.



Literæ.

Literæ a Clemente XI. ad Augustissimum datæ d. 2. Junii 1708.

CLEMENS P. P. XI.

CHarissimo in Christo Filio Salutem & Apostol. Benedictionem. Vix simile verò videtur, copias illas, quæ stipendia faciunt sub vexillis Majestatis Tuæ in Italia, post tot & tantas molestias & gravissima damna, frequenti earum transitu per ditionem Ecclesiasticam populis Nostris illata, derepente nullâ factâ Belli indictione intentasse hostile aliquid adversus eam ditionem, nisi actu reque ipsâ ex his, quæ ad Nos nuper allata sunt, nimium compertum esset, id plane evenisse, easdemque copias loca quædam JURISDICTIONIS Nostræ paulò ante occupasse, ibique constituto præsidio, Tuisque signis explicatis tanquam in terris justo bello conquisitis insedisse, animo, ut apparet majora aggrediendi, ubi novis militiis, quæ mox affuturæ dicuntur, augeantur. Vides, Cæsar, hæc contra omnem æquitatem ac rationem, contra debitam Nobis & Apostolicæ Sedi REVERENTIAM, contra Jura ac rationes Ecclesiæ, per ABUSUM Tui Nominis admissa Divinis humanisque legibus repugnare, rectâque opponi Titulo DEFENSORIS Ecclesiæ, quò maximè gloriati sunt Imperatores inclyti Majores Tui. Non ignoras, quàm graviter & districtè Sacri Canones & Apostolicæ Constitutiones decernant adversus eos, qui vim rebus & juribus Ecclesiæ inferunt. Expende itaque, quousque Te abripuerint, (si modò id Te jubente ac conscio admissum est, quod nefas esse videtur de Tuo animo existimandi) *prava* & *iniqua* eorum consilia, qui Te ad provocandam tàm graviter & tàm manifestè DEI iram impulerunt: & pedem NULLA MORA inde refer, unde certa animæ Tuæ pernicies, nedum perpetua Tuo Nomini labes, consecuta est. Interim verò de Nobis existimato, Nos de Divina ope, quam humiliter & enixè implorare non cessabimus, confisos eâ animi firmitate hanc causam & ea omnia, quæ tutelæ Nostræ commissa sunt, complexuros esse, ut nemo unquam jure Nobis succensere possit, Nos muneris Nostri partibus defuisse, aut MEDIIS sive SPIRITUALIBUS pepercisse, etiamsi cujuscunque res jacturâ & vitæ Nostræ dispendio faciendum sit:

Non enim animam Nostram pretiosiorem facimus, quàm Nos, dummodò consummamus cursum Nostrum, commissumque Nobis cœlitùs Ministerium usque ad mortem feliciter impleamus. Memores siquidem sumus, quemadmodùm Te esse oportet, omnes homines, quacunque demùm dignitate præstantes, constituendos esse aliquando ante tremendum illud Tribunal, coram quo tùm qui fecerint opus suum negligenter, tùm qui traditâ sibi potestate abusi fuerint, justi Judicis viam non evadent; declinantes enim in obliqua omnes abducet Dominus cum operantibus Iniquitatem. Hæc cogitatio Nos, DEO juvante, impigros in obeundo munere Nostro efficiet: Consulat & sibi Majestas Tua. Noli, charissime Fili Noster, (nomine Domini JESU CHRISTI, cujus vices indignè gerimus, postremò Te alloquimur) noli primitias florentis ætatis Tuæ totius populi Christiani scandalo maculare, & ab Ecclesiæ, quæ Christi Sponsa, Apostolorum ejus injuriâ Imperii Tui primordia auspicari: Quod quidem ut planè intelligas, & meliora, DEO favente, sapias, Majestati Tuæ Apostolicam Benedictionem amantissimè impertimur. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die secundâ Junii, MDCCVII.

Ulysses Joh. Arch. Theodosiensis.

Inscriptio Literarum.

Charissimo in Christo Filio Nostro Josepho, Hungariæ & Bohemiæ Regi, in Romanorum Imperatorem electo.

Epistola Bullata Secunda *Pontificis Romani* adversus Aug. Imp. Josephum.

HActenus lenitatis & patientiæ dedimus grande Documentum, cùm à Te, Cæsar, sæpè *lacessiti*, ac Tuis armis etiam *vulnerati* non modò resolutionis cupiditas non excitavit, sed culpam patienter dissimulavimus: ne graviter descenderemus ad pœnam, egimus semper erga Te, cæterosq; Principes, *velut Pater* erga filios, qui singulos cùm amantissimè diligat, non patitur in illis quenquam amoris sui locum non occupare, neque per

per Te licuit de benevolentia erga Te Nostra dubitare, oblivisci non potes, cùm Imperii Regimen suscepisti; quanto eam Tibi cæterisque Imperii Ordinibus luculenter satis ostendimus. Dolebamus Te primùm, Regnis imperate, cùm inter Te Gallumque Regem vehementissimum bellum arderet: diu multumque studuimus *tranquillitati* Tuæ ac tale *Dissidium* AUTHORITATE Nostrâ non solùm, sed cum Principibus etiam componere conati sumus. Verùm sic altè vulnus erat impressum, ut indies recrudesceret magis, ac cujusque manum respueret; Veruntamen etsi pacem habere non licuit, studia pacis nunquam omisimus; curavimus ideò semper PATERNAM quandam INDIFFERENTIAM ut idonei essemus, contentionem armorum, quæ Nobis offerebatur, ut exteris Legionibus liberaretur Italia, constanter rejecimus, ne locus esset SUSPICIONI, accepimus Milites Tuos ac detrimenta, quæ ab iis Dominii nostri pars melior accepit, penè neglreximus, nec ad aures Tuas justissimas querelas Nostras deferri. *Neapolitana Expeditio* à Nobis initium habuit & incrementum, quod nec vi, nec armis consequi potuisset, ultrò concessimus: ut Commodis Tuis & *profectibus* favere Nos magis, quàm Nostræ *felicitati* videremur; cùm verò lenitas ac tanta patientia non modò in Ecclesiam debitum obsequium non confirmaverit, sed & illi ruinas ac damna inferendi consilium dedisse videatur, Nos quoque omissâ lenitate & patientiâ severissimè munus Nostrum implebimus. Opinamur, conscientiam per se Tibi denunciaturam fore, Te irretitum teneri, cùm Ecclesiastici Dominii partem non ita exiguam hostiliter deprædatus es, & pensiones ac beneficia, quæ Ministris Ecclesiæ conferebantur, Tibi judicaveris extensione violentâ competere. Accedit etiam: (sic enim ex literis Tuis accepimus:) ut CHRISTI DOMINI nostri CAUSAM, Ejusque in Terris VICARII, Tu ipse velis judicare: Desiste *Fili*, & ad *reverentiam Ecclesiæ debitam* etiamnum animam Tuam revoca: Obliviscemur Nos injuriarum, ac Te tanquam *primogenitum Filium* diligemus. Sed si perstabis in tanta intemperantia consilii, abjiciemus Patris clementiam, & in Te, tanquam REBELLEM FILIUM, EXCOMMUNICATIONE & armis, si opus fuerit, animadvertemus. Neque verò, si contra stant Nos Castra, timebimus: *Christi Domini Ejusque Causam defendimus.* Christus ipse vires dabit, ut vincamus, Teque nisi pudet, ECCLESIAM & DEUM ipsum oppugnare, & ab illa avita pietate Austriaca, & præcipuè pristini

Leopoldi Sanctissimæ Sedi addictissimi declinare. Scias, idem ipse DEUS, qui Regna confert, Regna disperdere. Hæc est *Bulla* contra Cæsarem.

CAPUT I.

De Bonis Ecclesiasticis, earumque origine; atque an Episcopus Romanus Jure Divino habeat Dominium supremum in Temporalia.

SUMMA.

1. *Recensetur Bonorum Ecclesiasticorum Origo,*
2. *Quâ ratione, & à quibus Personis ea fuerint administrata.*
3. *Quomodo creverint, inprimis tempore Imperatorum Christianorum.*
4. *Quando inceperit Ecclesia, Bona habere immobilia, & fundos.*
5. *Deducitur, quòd Pontifex Romanus de Jure Divino, ut Vicarius Christi non possit habere Bona Temporalia, immobilia, Regna, Provincias, Urbes, &c.*
6. *Ostenditur ab exemplo Christi, cujus paupertas contra Pontificem Johannem XXII. vindicatur.*
7. *Monstratur, quam injustè Bona Ecclesiastica Romæ administrentur.*

CUm hodierna Controversia & Lis inter Imperatorem Josephum, & Pontificem Max. Clementem XI. maximè versetur circa Bona, quæ juxta stylum Curiæ Romanæ vocantur Ecclesiastica, par est, ut antequam judicium nostrum, quænam pars justam foveat causam, feramus, de eorum Origine & Natura pauca dicamus.

Advertendum itaque est, quòd sub incunabulis Ecclesiæ Christianæ nulla Bona talia fuerint, FUNDUS nullus atque adeò nulla BONA stabilia & immobilia, sed in Regno Ecclesiæ regnabat mera PAUPERTAS, quam solabantur OBLATIONES Personarum piarum, & in quibus CHARITAS flammabat, easque ad Actus Liberalitatis & Misericordiæ stimulabat. Sic ipse Salvator noster fundator Ecclesiæ Christianæ in diebus car-

carnis suæ, Pauperrimus erat, *non habens, ubi caput suum reclinet*, ex talibus vivebat *oblationibus* & *liberalitate* aliorum, non solùm, cùm in *Nativitate* sua à Magis *aurum*, *thus & myrrham* acceperit, quod viaticum erat itineris in Ægypto, sed etiam per totam vitam suam.

Unde cùm ad prædicationem Evangelii procederet, & Apostolos constitueret, ex eleemosyna & oblatione aliorum vivebat, quæ ita, providente DEO, comparata erant, ut sufficerent tùm ad necessariam vitæ sustentationem sui & Apostolorum, tùm etiam ad dandam aliis pauperibus eleemosynam. Duravit iste status PAUPERTATIS usque ad mortem Salvatoris, sic, ut spiritum emitteret NUDUS in cruce.

Postmodùm Christo in cœlum gloriosè ascendente Apostoli pariter in bonis propriis nihil habebant; unde enim haberent, cùm ex præcepto Salvatoris omnia relinquere deberent. Hinc, cùm Pauper quidam Act. 3. stipem à Petro ante fores Templi peteret, iste respondit: AURUM & ARGENTUM non habeo. Vitam ergò sustentabant iidem Apostoli ex benignis aliorum oblationibus, ubi fervor in primo Christianismo talis erat, ut fideles bona sua venderent, atq; ea ad pedes Apostolorum ponerent; ita tamen, ut neque ad *Petrum*, neque ad alios Apostolos possessio & DOMINIUM illorum bonorum pertineret, sed ad Ecclesiam, unde omnia tum temporis erant communia, ita, ut in primitivo illo Ecclesiæ statu nemo esset dives aut pauper, sed ut omnium unum cor & anima, ita ex communi quasi eleemosynæ FUNDO omnes vivebant, tàm Apostoli, quàm reliqui fideles, inprimis etiam pauperes.

Cæterùm ista eleemosyna & collata bona, licèt primò per ipsos Apostolos, fuerint administrata & distributa, tamen postea, cùm viderent, quòd hæc cura impedimento esset prædicationi Evangelii, quare certas personas elegere, qui

bona illa à Fidelibus collata sub administratione tenerent, ut constat ex Act. 6. v. 3. 4. qui Diaconi seu Ministrantes dicti: Et quidem electio fiebat à tota Ecclesia, quemadmodùm Episcoporum & Presbyterorum electio instituebatur, nempe præeunte jejunio ac devotis ad DEUM precibus; ut ex alto DEUS tali electioni benediceret.

Multùm ergò descivit hodierna Ecclesiæ, inprimis Romanæ, praxis, ab Ecclesia primitiva, ejusque piâ simplicitate. Nam dum Apostolorum temporibus & sequenti etiam ætate, Petrus, Paulus, &c. ac postea Episcopi in Evangelii prædicatione & Sacramentorum administratione, occupati erant ad fidem Christianam plantandam, atque adeo ad Ecclesiam ædificandam, reliqui inferiores Diaconi curam gerebant Bonorum Ecclesiasticorum ad sustentationem pauperum, quin & Ministrorum Ecclesiæ. Atque hæc cura longè reputabatur ignobilioris ordinis, quàm prima. Etenim PER SE majus est, DEO per prædicationẽ Evangelii servire, animas ædificare, quàm bona *terrena* administrare. Secus se jam ex toto res habet, ubi Episcopus Ecclesiæ Catholico-Romanæ primus non amplius pro prima sua cura habet, ut prædicet Verbum Evangelii, administret Sacramenta, ædificet animas, tollat scandala, grassantia peccata mortalia, maximè Romæ, compescat, &c. sed ut BONA possideat TEMPORALIA, extendat TERRITORIUM Papale, divites faciat Nepotes: Nec hoc vitium tantùm in Papa cernitur, sed & apud Cardinales, qui officiũ illud sanctum prædicationis Verbi, & plantandi Fidem pauperculis Monachis relinquũt, ipsi interea in splendore & divitiis vivunt. Adeò jam aliam faciem habet Praxis Ecclesiastica: adeò nihil amplius de prisca illa & sancta SIMPLICITATE Christiana atque Apostolica remansit. Adeò hodierna Roma degeneravit à prisca illa, in qua martyrium sustinuere Petrus & Paulus: Sed hodiè

diè Martyres faciunt Pontifices per cruentas Bullas. Adeò sanctior fuit & in fide ditior illa gentium domina, cùm paupertas ibi regnaret, & fasces teneret in magna inopia zelus pro gloria DEI. Duravit autem pia illa œconomia per tria secula, ubi sanctus ille fervor, & charitas à fide inflammata tantum habuit ponderis apud fideles, ut lubentissimè sua bona in commune Ecclesiæ ac pauperum bonum conferrent; Et dispositiones quidem Apostolicæ ex eo quoque capite erant laudatissimæ, quòd si oblationes & beneficia in aliqua Urbe erant abundantia, tùm ex illo superfluo aliis egentibus necessaria quoque dispensabantur. Hinc etiam Jacobus, Petrus & Johannes cùm pro Collegis in officio agnoscerent Paulum & Barnabam, ipsis commendabant collectas illas, ut pro Ecclesia Hierosolymitana, quæ maximè egena videbatur, pro eleemosynis apud ditiores intercederent, & recenset quoque Paulus, quòd in Macedonia, Achaja, Galatia & Corintho eleemosynas à fidelibus eum in finem impetraverit. Qui mos etiam post Apostolorum tempora permansit. Urbs Roma, quæ tum temporis opibus florebat, inprimis liberalitatem ostendit, in qua *Oblationes* fidelium circa annum 150 tam abundantes conferebantur, ut non saltem pro pauperibus in Urbe sufficerent, sed etiam in alias dissitas Provincias rivuli liberalitatis in solatium egenorum derivabantur. Quin historia illorum temporum docet, quòd solus Marcion circa Annum 170. quinque millia aureorum Ecclesiæ Romanæ ultrò donaverit; Verùm cùm postea deprehensum, quòd iste Marcion in fide errores foveret, tota illa summa ipsi fuit restituta, ne ex bonis hæreticis videretur locupletata, aut ne Bona impii hominis Ecclesiæ maculam inurerent, quasi ex Bonis malignis viveret.

Suc-

Succeſſu dein temporis, tantis dicta Eccleſia Rom. divitiis abundare cœpit, ut A. 250. invidiam apud ipſum Imperatorem Romanum accenderent. Is eâ tempeſtate fuit Decius, qui cùm de amplis opibus illis, quæ ſub Laurentii Diaconi adminiſtratione erant, audiret, præcepit, ut in fiſcum Cæſareum redigerentur, quod audiens Laurentius, cùm propinquius remedium non cerneret, Bona omnia per Eccleſias, eorumque pauperes diſtribuit; Quam fidelitatem poſtea Decius immani crudelitate penſavit, dum ipſum craticulæ ferreæ impoſitum ſubjectis ardentibus carbonibus vivum aſſavit. Ut ex Hiſtoria conſtat.

Iſta tamen Decii crudelitas impedire non potuit, quo minus fideles ſua Bona liberaliter adhuc Eccleſiæ pro ejus neceſſitatibus offerrent, maximè poſt ejus mortem, ubi paulliſper à graviſſimis perſecutionibus reſpirare cœpit. Quo tempore Bona quoque immobilia Eccleſiæ per Teſtamenta legata ſunt, ſed poſtmodùm, imperante Diocletiano & Maximino, per totam Italiam iterum in fiſcum ſuêre redacta; In Gallia tamen, in qua Conſtantius Chlorus regimen tenebat, ea Bona immobilia ſive donata, ſive per Teſtamentum legata permanſêre Eccleſiæ. Sed nunquam antea majores accepit Eccleſia opes, quàm ſub Imperio Conſtantini Magni, qui primus Imperatorum fidem Chriſtianam apertè profeſſus erat. Is ſiquidem, ut ſinceritatem fidei ſuæ teſtaretur, maxima Bona tùm mobilia, tùm immobilia Eccleſiæ largiebatur. Sed cum illis opibus creſcere quoque ſupercilium Clericorum, & maximè Epiſcopi Romani cœpit, & audita tùm Romæ cœlitùs delapſa vox eſt, cujus VERITAS in hunc usque diem CHRISTIANISMO feralis eſt.

Hodiè venenum effuſum eſt in Eccleſiam

Et ſanè id certum eſt, quod nihil magis nocuerit Eccleſiæ, non

ipſæ

ipsæ cruentissimæ persecutiones, quàm felicitas illa temporalis, & divitiæ; ex sapidissima quadam, sed nociva esca, postmodùm Ambitio, Luxus, tyrannis atque alia vitia in Ecclesia Rom. nata fuêre.

Consentit nobiscum, quoad potissima, Franc. *Guicciardinus*, Historicus, teste Lipsio, incomparabilis, rerum Romanarum gnarus, utpote per aliquod tempus Secretarius Statûs, qui in libr. 4. Edit. primæ, recenset, quòd in tribus primis Seculis Episcopi Romani non solùm ab omni POTENTIA CIVILI & MUNDANA penitus nudati fuerint, verum etiam ab illa vexati, ita, ut diu obscuri atque ignorati fuerint, neque eorum nomina innotuerint, nisi in suppliciis & cruciatibus perferendis.

Addit deinceps, quòd in ista *sancta* ac voluntaria paupertate, & reliquæ vitæ sanctimonia, ac suppliciorum per martyria acerbitate, ita vixerint, usque ad Pontificatum Sylvestri. Cujus temporibus, cùm ad Christianam Religionem Constantinus Cæsar publicè transiret, permotus partim sanctitate morum, quæ in Christianis elucescebat, partim miraculis, quæ in nomine Christi sæpius fiebant, Episcopi Romani à periculis, inter quæ per trecentos annos vixerant, liberius cultum Divinum exercebant. Ex quo factum est, ut partim morum & vitæ admiratione, partim præceptorum, quæ in Christiana Religione continentur sanctitate, partim quoque facilitate mortalium, qua plerunque vel ambitione, vel metu Principis sui exemplum imitantur, nomen Christianum mirificè omnibus in locis propagari, PAUPERTAS autem illa BEATA Sacerdotum diminui cœpit. Nam Constantinus Templo in Laterano Divo Johanni, in Vaticano Petro Apostolo, itemque Paulo, aliisque diversis in locis ædificans, ea non modò pretiosis vasis ornamentisque ditavit, verùm etiam, ut ii, qui rebus sacris operam darent, sustentari possent; prædiis atque vectigalibus donavit: alii post secuti, rati beneficiis ejusmodi faciliorem aditum ad Regnum cœleste patefieri, aut nova exstruebant fana, eaque donis cumulabant; aut etiam extractis bonorum suorum portionem aliquam attribuebant; quin etiam ad Legis Mosaicæ exemplum, quisque de suorum Bonorum fructibus, decimam partem locis religiosis pendebat; ad quod quidem efficiendum, magno cum ardore excitabantur, quod viderent ab initio Sacerdotes, eo excepto, quod ad *parcissimum victum* sibi reservabant, quicquid *reliquum* erat, partim

in ædificia religiosa, eorumq; supellectilem, partim in egenos, aliosque pios usus impendere: cumque nondum SUPERBIA & AMBITIO in eorum pectoribus insedisset, ab universis, qui ubique erant, Christianis omnium Ecclesiarum supremus Custos, & tanquam Petri Apostoli Successor Episcopus Romanus agnoscebatur: Primò, quòd ea CIVITAS ob suam antiquam dignitatem CAPUT & PRINCEPS Imperii Nomen Majestatemque retinebat; deinde, quod illinc in bonam Europæ partem Religio Christiana diffusa erat; postremò, quia Constantinus à Sylvestro ritu Christiano aquis initiatus, ejusmodi authoritatem quoq; in successoribus latentem agnoverat: Fama quoque est, eundem Constantinum sedem suam in Oriente figentem Pontifici *Romanæ Urbis*, aliarumque in Italia Regionumque *Imperium* donasse. Quæ fama, licèt à sequentibus Pontificibus diligenter fuerit enutrita & sustentata, eorumque authoritate à multis credita, nihilominùs tùm à REBUS IPSIS est refutata. Illud autem CERTÒ constat, Urbem Romam, & tunc & longo post tempore, atque Italiam omnem tanquam Imperio Cæsarum obnoxiam, ab Imperatorum Præfectis ac Ministris fuisse gubernatam; nec desunt, qui quicquid de *Constantino* & *Sylvestro* dicitur, redarguant, ostendantque, eos longè diversis temporibus extitisse, usque adeò sæpè profundis in tenebris res vetustæ demersæ latent. Nemo tamen negat, Imperii Constantinopolim translatione ad Pontificum POTENTIAM, VIAM esse patefactam, ex eoque ORIGINEM habuisse. Nam indies magis magisque Imperatorum AUTHORITATE, ob absentiam debilitata in Italia, populus Romanus paulatim DEFICIENS, & Pontifices præsentes respiciens, eis cœpit voluntarium obsequium exhibere.

Hactenus *Francisc. Guicciardinus* Scriptor Catholicus; *Protestantes* enim seu *Evangelicos* Scriptores in præsenti lite & materia producere, absonum ducimus.

Ex qua ipsa Relatione & iis, quæ supra sunt dicta, satis manifestum est

Primò, quæ sit Origo Dominii Papalis in Urbem Romam, & plurima Italiæ Loca: nempe non Jus aliquod DIVINUM, non dispositio Christi, vel voluntas Petri, sed *voluntaria* ambitiosorum *Pontificum* usurpatio: Populi Romani mala fides & defectio, &c.

2, Quòd

2. Quòd quamdiu in sancta PAUPERTATE & inopia vixit Ecclesia, vixerit ad genium Christi & Apostolorum.

3. Quòd Pontifex Romanus, ut Vicarius Christi, non debeat nec possit habere Bona immobilia, Regna, Provincias, uno vocabulo, Majestatem SECULAREM.

4. Quòd sicut Petrus nunquam habuit Patrimonium, Bona immobilia, ac Possessiones Urbium ac Provinciarum; ita Successor ejus malè provocat ad Jus Divinum in Petro fundatum, atque adeò impiè Pontifices Romani pro justificatione Possessionum suarum PETRUM pro clypeo objiciunt, ad injiciendum Imperatoribus aut Regibus terrorem, quasi in Petrum injurii essent, dum sua jura antiquissima repetunt.

Ex Veteri Testamento satis constat, quòd Sacerdotium ibi adeò PARTEM in Imperio TEMPORALI, Possessione Urbium ac Provinciarum non habuerit, ut potius in distributione TERRÆ CANAAN, nulla portio ipsi JURE DIVINO assignata fuerit, ne quidem Sacerdoti summo; sed quod ex DECIMIS & liberali OBLATIONE fidelium in Sacrificiis vixerint. vid. Num. XVIII. v. 20. Deut. X. v. 9. Cap. XVIII. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. & 8. De JURE ergò Divino Vet. Testamenti, ex quo Dnn. Catholici Rom. maximè etiam ad Summum Pontificem in Nov. Testam. argumentari solent, nullum Bonum TERRITORIALE maximè nulla JURISDICTIO MAJESTATICA Imperatoria vel REGALIS ad personam *Clericalem* seu spiritualem pertinet.

In Novo Testamento pariter nulla patrimonia Regalia, vel Possessiones opulentæ TEMPORALES Apostolis fuere promissæ; Quin Christus ipse, cujus Clemens XI. prætendit esse Vicarius, adeò nec Regnum, nec Provincias possedit, ut ex mera aliorum liberalitate & eleemosynis vixerit, ut supra tetigimus, ita, ut ne pulvillum habuerit PROPRIUM, quo sacrosanctum CAPUT suum reponeret, & expressè protestatur apud Pilatum, quòd *Regnum suum non sit de hoc mundo.* *Temporalia* itaque BONA, Ducatum exempl. gr. Parmensem, Placentinum, Urbem Comachium, &c. de his enim Imperatori nostro controversiam movet, non habuit Christus, multò minus Vicario suo reliquit. Omnium minimè voluit, ut per *Excommunicationem* & per ARMA CARNALIA talia BONA quæreret. Quin si aliquod Regnum

ex titulo Vicarii Christi, affectare vellet, tùm illud esset Hierosolymitanum seu Judaicum, illius enim, nunquam autem Romani, Christus apud Prophetas dicitur Rex. Quærat ergò illud Papa apud Turcas: Verùm etiam illud Christus, in quantum TEMPORALE fuit, detrectavit. Iis vestigiis cur non insistit Papa Romanus Rectè *Joh. Major*, celebris inter Catholicos Scriptor, Dist, 24. quæst. 3. ait: *Maximus Pontifex nullum titulum habet super Regnum Francorum vel Hispaniarum*, multò minus super Imperium, in TEMPORALIBUS: *Ergò non sunt ei subjecta in Temporalibus. Antecedens patet*: nam quæro: *quem titulum? Si dicas: succedit Christo, & Christus est Dominus omnium. Contra; probare non potes, quod Christus secundùm humanitatem est Dominus omnium, cùm dixerit Pilato: Regnum meum non est de hoc mundo.*

Equidem non ignoramus, quòd tempore Pontificis Johannis XXII. ingens mota fuerit lis de Paupertate Christi inter Franciscanos & Dominicanos, illis affirmantibus, & per testimonia Scripturæ solidè ac invictè probantibus, quòd Christus fuerit pauperrimus, quòd in Cruce pependerit nudus, quòd nihil vestimenti in toto corpore habuerit, nisi quòd coronam spineam in capite gesserit: Dominicanis contra propugnantibus, quòd fuerit ditissimus, quòdque in cruce pependerit non nudus, nec spineâ coronâ redimitus, sed ornatus in capite coronâ Regiâ & aureâ; Vestimentum insuper gestasse purpureum, togam inprimis usque ad talos demissam, ac limbis aureis insigni, pedesque calceis deauratis seu bracteatis circumdatum. Et hanc Dominicanorum sententiam omnibus viribus Johannes XXII. Pontifex defendit, excommunicatis Franciscanis, quos fraterculos appellare solitus est. Hinc *Johannes Barvota Vitoduranus* Minorita, qui illis temporibus vixit, recenset, quòd eâ ætate visæ fuerint imagines crucifixi Salvatoris, alterâ quidem manu ad crucem affixa, alterâ verò immissâ in crumenam, ex Zona pendentem, veluti inde pecuniam in usus temporales prolatura. Quæ verò ratio fuerit Johannis XXII. ut Christum divitem etiam in cruce pendentem statuerit, facilis est conjectura, nam juxta Historicos illius temporis, divitiarum fuit appetentissimus.

Videat ergò præsens Pontifex, annon pariter ex Christo paupere, divitem aliquem Principem Parmæ, Placentiæ, Ferrariæ, Comachii, &c. Dominum faciat, dum in Bulla contendit, quòd Imperator ne-

ster contra Christum pugnet, ejus Bona expilet, dum in illos Principatûs Dominium supremum exercet, atque ad stipendia militibus præbenda adigit: Ubinam enim Christus unquam talia, vel similia Bona, ad SE vel ad VICARIUM suum pertinere contendit. Præsens Seculum tam superstitiosum non amplius est, ut credat simpliciter Pontifici Romano ex *Cathedra* INTERESSATA loquenti.

Avaritia itaque illa scelerum omnium funestissima ac fœdissima scaturigo Johannis Pontificis, motivum fuit, ut toti Christiano imponere voluerit, quasi Christus in his Terris & ut Pontifex Maximus pro genere humano se in Sacrificium sistens, fuerit *temporaliter* ditissimus; Per hanc enim hypothesin credebat, avaritiam suam non honestatis tantùm, sed & sancti zeli pro Christo faciem habere posse, si dicatur, Christum divitiis abundasse; Pronâ enim consequentiâ exinde concludi posse sperabat, quod VICARIUS CHRISTI, hoc est, Pontifex Romanus, etiam divitias conquirere, possidere, atque in iis superbire possit.

Verùm, sicut putidæ illius Dominicanorum & Pontificis Johannis opinionis jam dudum puduit Curiam Romanam; uti porrò EXCOMMUNICATIO illa Franciscanorum sceleratissima fuit, & in Caput *Johannis* Pontificis rediit, qui ejus quoque vim in tristi æternitate damnationis sentit; ita, si initium donationum & divitiarum omnium Ecclesiæ Romanæ respiciatur, patebit, quis sensus Divinus circa eas fuerit; nam ex Historia constat, quòd, crescentibus opibus Ecclesiæ, creverint quoque vitia, AMBITIO inprimis & AVARITIA; ut ita verè per opes VENENUM EFFUSUM SIT IN ECCLESIAM, ut supra dictum.

Si ergò Christus ipse in his terris agens fuerit pauperrimus; Si Regnum omne detrectavit; Si Apostolis dominatum & superioritatem simpliciter prohibuit; Si denique cœlitùs emissa Romæ vox, TEMPORALIA ista BONA VENENUM Ecclesiæ vocavit, quâ ratione dici potest, quòd ea Vicario Christi JURE DIVINO competant, & quòd Cæsar ea sibi vindicans Christo injuriam intulerit. An non potius hoc *Albanus* seu Clemens XI. facit, & gravissimam, & Domino suo JESU CHRISTO, cujus prætendit esse Vicarius, injuriam infert: Nam Servus Domino suo falsa affingens, vel voluntatem ejus perversè & planè contra mentem ejus explicans, procul du-

bio gravem injuriam infert. At hoc facit Clemens XI. & plurimi ejus fecére Antecessores; nam Christo affingunt, quòd voluerit, ut ejus vices in his terris gerens, & Successor Petri, DOMINIA habeat TEMPORALIA, ut pro eorum augmento vigilet, ut maximè in Italia curam habeat Parmæ, Placentiæ, Ducatûs Ferrariensis, Comachii, &c. atq; ut Europæo Orbi ejusque Principibus dicat, quòd quicunque partem aliquam harum Provinciarum tangere velit, idem faciat, ac si Christo sua eriperet: Quis hîc non primâ fronte videt, ingentem hanc esse, imò protervam Curiæ Romanæ de voluntate sanctissimi nostri Salvatoris *fictionem*. Ubi enim ullum ejus rei vestigium legitur in Codice Sacro. Sanè Petrus Romæ, ut dicunt, tamdiu vivens, tandem etiam moriens, aliquid de tanti momenti negotio dixisset, nempe, quòd ejus Successores magna habituri sint Imperia & Provincias, maximè in Italia, & quòd id futurum sit ex Jure Divino, & IN VICEM Christi; Probet ergò Clemens XI. Christum vel Petrum ipsi dedisse Jus in TEMPORALIA in dictas Provincias & Urbes, aut si probare non potest; ergò, dum id prætendit, apertè fingit, & Christo mentem affingit, quòd VICARIUM velit habere cum triplici corona.

At posito, quanquam in æternum non concesso, quòd Imperator noster injuriam intulerit Christo, quia BONA illa occupat, quæ ad Ecclesiam spectant, cujus Christus est Caput: Posito, inquam, hoc non concesso. Cur Clemens XI. hactenus atrocia illa sacrilegia per Nepotes Pontificum Antecessorum commissa, dum ærarium publicum exhausêre, reditus ad se traxêre, ingentibus debitis Cameram Apostolicam gravarunt, cur, inquam, illa sacrilegia non repetit; cur excandescit contra Imperatorem, & ante oculos suos cernit Principes Palestrinos, Pamphilios, Burghesios, Chisios, Altierios, Zagarollas, &c. qui pauci omnes enim non nominavimus, in fastu jam vivunt Principali, & quidem merè ex rapinis & sacrilegiis Bonorum Ecclesiasticorum: Cur hos non adigit ad restitutionem, sub pœna EXCOMMUNICATIONIS, juxta enim infallibile Augustini principium *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum*. Principes Palestrinos ex familia Barbarinorum tempore

pore Papæ Urbani VIII. familiæ Barbarinæ Capitis, ultra duas milliones intra vicennium ex Bonis Ecclesiasticis ad se traxisse, Romæ neminem latet: Quanta hæc est sacrilegii summa? Burghesium Nepotem Pauli V. in annuis reditibus Ecclesiasticis habuisse ducenta & quinquaginta millia Scutatorum, cùm antea ne mille habuerit, Historicus s memorat non ignobilis, & Domus illa jam Princeps est, & ex spoliis Ecclesiasticis superbit. Quot tonnas auri suffurata sit Carafania Romana, Donna Olympia, sedente seu stertente potius ROMÆ Innocentio X. id pariter loquitur Historia. Et Alexander quidem VII. ingentem visus fuit contra eam zelum & iram concipere, sed mox per tres tonnas auri, quas Nepotes accepêre, sedata fuit gravissima tempestas, quæ Maldakinis minabatur. In quibus divitiis vivant Chisii, Creaturæ & Nepotes dicti Alexandri VII. antea pauperrimi, quivis novit, qui Romam & fastum illius vidit, &c. Hæc omnia Bona cur non repetit Clemens XI.? Cur tam facilis est in Excommunicatione Cæsaris BENEFACTORIS, & in Cardinalibus suis immania furta tolerat? Cur non sequitur vestigia Innocentii XI. supra laudati, qui in primis statim mensibus Papatûs sui quatuor Theologis in commissis dedit, ut juxta rigorem conscientiæ & justitiæ examinarent, quodnam jus Pontifici competat circa Bona Ecclesiæ, & quid Nepotibus largiri possit? Qui egregio & prolixo Scripto responderunt: Bona Ecclesiastica non pertinere ad Pontificem, sed ad sustentationem Ecclesiæ ac pauperum; ac proin Pontificem pro se plus erogare non posse, nisi quòd sufficiat ad modicum victum, assignato ne quidem integro Aureo Hispanico in diem. Ad Nepotes ne obulum pertinere.

In fine Scripti, quod Romæ anno 1676. non saltem legimus, sed etiam descripsimus, sibi ipsis objiciunt isti Theologi. Quid ergò dicendum de Pontificibus, qui hactenus tantas sum-

fumas auri cum maximo dispendio Ecclesiæ in Nepotes profudêre. Respondent, facta iniquorum Antecessorum non excusare.. Legibus, non exemplis, esse vivendum. Quemlibet gesti muneris pro se reddere rationem debere coram tribunali Divino.

Quô ipsô Scriptô lectô Innocentius in id incubuit, quomodo ingentes rapinas, facto initio à Nepote Antecessoris *Clementis X.* repetere, & Nepotismum tollere posset. Sed tantas ab ipso Cardinalium Collegio invenit difficultates & contradictiones, ut ægerrimè tandem ipse pro se Nepotismum abrogaret, qui post ejus mortem statim revivixit.

Summa ergò injustitia, imò etiam impietas est, quòd de Imperatore sua & Imperii Jura repetente, Curia Romana dicat, ipsum injuriam Christo inferre; sed NEPOTES Pontificii manifesti & indubii fures ac raptores illi sacrilegi Bonorum Ecclesiasticorum, ac qui pro se nullum justitiæ titulum afferre possunt, relinquuntur intacti, & ante faciem Pontificis in illis Sacrilegiis superbiunt, quin haud pauci ideò in Cardinalium numerum, tanquam religiosi, sancti ac firmi sanctæ Ecclesiæ Christianæ Cardines, recepti sunt, quia NEPOTES fuêre Pontificum, atque eas divitias per furta corraserunt, ut splendorem Curiæ Romanæ sustentare queant. An hæc talia grata sint Christo? an ipsius vitæ vel genio correspondeant? judicet, qui Historiam Salvatoris in Evangelio legit, humilitatem vidit, & vestigia adorat. Injuriam ergò Imperatori nostro summam infert Curia Romana, quæ ipsum injuriæ in Christum accusat, qui potius Pontifici Judaico & Sacerdotibus præcipit, ut Cæsari darent, quæ sunt Cæsaris. Nec hoc illis tantùm dixit, sed hodiè etiam Pontifici Romano, eo ipso, quo Ipsius VICES præterdit. Vindicet prius Sacrilegia NEPOTUM Pontif. quam ad Cæsarem veniet.

Deni-

Denique Pontifex Rom. Clemens XI. aut se venditat pro CLERICO, vel pro LAICO; si pro LAICO, quomodo prætendit esse VICARIUS Christi, & SUCCESSOR Petri, aut quomodo CLAVE LIGANTE Petrina uti potest: Si est CLERICUS; tum advertat id quod dicit *Abbas Clara vallensis* Bernhardus, In declam. super Ev. *Clericus* inquit, qui PARTEM habet in TERRA, non habebit PARTEM in Cœlo. *Item*: Clericus si quicquam habet præter *dominum*, PARS ejus non erit Dominus. Verbi gratia, si aurum, si argentum, si POSSESSIONES, si variam supellectilem, cum istis Dominus pars ejus fieri non dignatur. *Et postea*: De altari, ait, vivat Clericus, non superbiat, non luxurietur, non ditetur, non sibi de bonis Ecclesiæ ampla palatia fabricet, mutans quadrata rotundis, ne LOCULOS JUDÆ congreget, nec in vanitate & superfluitate dispergat, non extollat de FACULTATIBUS Ecclesiæ CONSANGUINEOS suos, aut neptes, ne filias (*ut fecit Alexander vi*) nuptui tradat. Res pauperum non pauperibus dare, par Sacrilegii Crimen esse dignoscitur. Sane patrimonia pauperum facultates sunt Ecclesiarum; & SACRILEGA eis CRUDELITATE surripitur, quicquid ministri & dispensatores, qui utique non sunt DOMINI vel POSSESSORES, ultra victum accipiunt & vestitum.

Hæc *Bernhardus*, qui si videret quod hodiernus pontifex Clemens XI. bona Ecclesiastica ad ARMA violenta contra Imperatorem Romanum applicaret, atque adeo multas milliones auri *pauperibus* eriperet, pro TEMPORALI DOMINIO, in Comachium, *Parmam & Placentiam*, quid non diceret? Quot millia hominum per *arma papalia* in summam egestatem reducuntur? & quot ipsius jussu occiduntur? Sed de hoc alibi.

Audiamus etiam Hieronymum ad Nepotianum, cujus hæc sunt verba. Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretetur primo vocabulum, & nominis definitione prolata, nitatur esse, quod dicitur. Si enim Cleros Græce, sors Latinæ appellatur; propterea vocantur Clerici vel quia de sorte sunt Domini, vel quia ipse Dominus sors, id est, pars Clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini est, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quod si quidpiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus. Verbi gratia: si aurum, si argentum, si possessiones, si variam supelle-

ctilem, cum istis partibus, Dominus pars ejus fieri non dignabitur. Si autem ego pars Domini sum & funiculus hæreditatis ejus, nec accipio partem inter cæteras tribus, sed quasi Levita & Sacerdos vivo de decimis & altari serviens, altaris oblatione sustentor, habens victum & vestitum, his contentus ero, & nudam crucem nudus sequar. Obsecro itaque te, & repetens iterumque monebo, ne officium clericatus genus antiquæ militiæ putes, id est, ne lucra seculi in Christi quæras militia, ne plus habeas quam quando Clericus esse cœpisti, & dicatur tibi: Clerici eorum non proderunt eis. Nonnulli eorum sunt ditiores Monachi, quam fuerant seculares, & possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace Diabolo non habuerant, ut suspiret eos Ecclesia divites, quos mundus tenuit ante mendicos. *Divus etiam Ambrosius de Fuga seculi sic scribit*. Cui portio Deus est, nihil debet curare nisi Deum, ne alterius impediatur necessitatis munere. Quod enim ad alia officia confertur, hoc religionis cultui atque huic nostro officio decerpitur. Hæc enim vera est Sacerdotis fuga, abdicatio domesticorum & quædam alienatio charissimorum, ut suis se abneget, qui servire Deo elegerit. *Hilarius etiam super Psal. 118. eandem sententiam confirmat in hunc modum*, Filiis Levi non erit portio, neque sors in medio fratrum suorum, quia Dominus Deus est pars eorum. Nullam ergo, Deo servientibus Lex data, terrenam esse voluit portionem, quia pars eorum Deus esset. *Meminit & Evangelii prædicator ille Petrus, nullam sibi esse portionem possessionis humanæ, cum oranti alimoniam respondit*: Aurum & argentum non est mihi, quod autem habeo, tibi do. Claudimus ista verbis Hieron. Vendrameni Theologi Veneti, & in Ecclesia Rom. Catholica parochialis Ecclef. Rect. „Christus *inquit*, nullum habuit TEMPORALE Dominiũ, quod „ potius cum impedimento esse cognosceret ad æternam salutem suis sectatoribus, ita eo se abdicavit, ut præterquam Apostolos ad sui contemptum „ pluribus in loc sacrorum Evangeliorum induxit, Johannis tamen 6. „ *cum cognovisset quia venturi essent, ut raperent eum & facerent Regem*, „ *fugit iterum in montem ipse solus*. & Joannis 18. aperte confessus est, „ *Regnum* ejus non esse *de hoc Mundo*, quibus verbis, ut exponunt ibidem Theophylactus, Chrysostomus, Cyrillus & Augustinus, Dominus liberare voluit Pilatum à suspicione, qua credere poterat, se Regnum temporale affectare, quasi dicere vellet: Ego quidem Rex non „ sum eo modo, quo Cæsar aut Herodes, nam Regnum meum non est

„de

„ de hoc Mundo, id eſt, non conſtat honoribus, opibus, ac potentia
„ mundana, Chriſtus enim non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare
„ animam ſuam redemptionem pro multis. Habuit autem Chriſtus ut
„ homo mortalis, ſolum ſpirituale dominium, quo poterat obligare
„ omnes, tam fideles, quam infideles, ad fidem & ſua Sacramenta ſu-
„ ſcipienda, neque enim ulla alia cauſa fuit, cur Chriſtus Dominus inter
„ homines converſatus fuerit, quam hominum ſalus, ut apertiſſime ha-
„ betur in ſymbolo, *qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*
„ *deſcendit de cœlis.* Hoc Petro Chriſtus communicavit, ac Summis
„ Pontificibus, quando oves ſuas eis paſcendas commiſit, non occiden-
„ das, paſtoris enim proprium eſt paſcere, non occidere, aut diſperdere;
„ neque enim ſemel Chriſtus hoc Petro commiſit, ſed pluries, atque
„ pluries, repetendo ei, paſce oves meas, paſce oves meas.

„ Hæc cum ita ſint, ignoro, unde eſt, cur tantopere nunc illud tuea-
„ tur, *Pontifex* quod Chriſtus ſprevit, quo ſe abdicavit, quod ſe non affe-
„ ctare expreſſe confeſſus eſt. Equidem qui temporale dominium, qua
„ Chriſti Vicarius eſt, Pontifici attribuunt; hi Chriſtum, Reges atque
„ Principes fefelliſſe fatentur, atque Chriſtum aliud prædicaſſe verbo,
„ aliud opere, prædicavit enim, Regnum ejus non eſſe de hoc Mundo,
„ nunc autem illud tueri, eſſe de hoc Mundo in Summis Pontificibus, ex-
„ preſſe eſt, tueri Chriſtum decepiſſe & Mundum & Principes. Ma-
„ neat igitur ex dictis, maximum eſſe diſcrimen, inter Politicam Regum,
„ atque Principum adminiſtrationem; atque inter ſpiritualem Summo-
„ rum Pontificum; nullam alteri debere derogare, neutram alterius ju-
„ riſdictionem poſſe occupare.

In compendium contraxit iſta omnia *Cardinalis di S. Angelo*, qui nomine Concilii Baſileenſis ad *Eugenium IV.* non volentem ad *Concilium* venire, & negotia circa PATRIMONIUM PETRI prætexentem, inter alia ita ſcripſit. **Verum PATRIMONIUM Eccleſiæ non eſt congregatio lapidum & murorum. Non fecit TE CUSTODEM Chriſtus caſtrorum & mœnium, ſed PASTOREM ANIMARUM. Rogitet aliquando S. T. in quibus actibus Chriſtus, cujus Vicarius es, & Petri ſucceſſor, ſe exercuerint: Ipſis ſicut officio ſuccedis, ita Succede etiam MORIBUS.**

CAPUT II.

De Dominio Papæ temporali,

An ex Jure Humano competat Pontifici R. Dominium & Jurisdictio Majestatica in Parmam, Placentiam & alia Italiæ loca.

SUMMA.

1. *Ostenditur, quòd Donationes Imperatorum Romano Episcopo facta, non fuerint absoluta, cum abdicatione omnis Juris.*
2. *Istas donationes revocabiles esse, si Papa Romanus enormiter contra* DONATOREM *ingratus sit.*
3. *Demonstratur in specie, quod Parma & Placentia ad Imperium Romanum pertineant.*
4. *Pauli III. Pontificis infamè factum notatur, dum Aloysio filio suo* NOTHO *seu naturali, homini sceleratissimo, reclamante Cæsare eas Urbes dedit & Ecclesia abstulit.*
5. *Fraus etiam detegitur illius Pontificis, qui suppositiias tabulas, pro veris ex Vaticano protulit.*

JUs Divnum non dare Episcopo Romano POTENTIAM Temporalem, seu Regna & Provincias sed potius omnem talem *ptestatem* prohibere, modò spectavimus. Videamus jam ex fundamentis JURIS Humani, an ipsi talis potestas competat, atque adeò an Bulla Papalis ex eo titulo in justitia sit fundata, ut tanto zelo contra Cæsarem insurgeret.

Hîc verò si rem extra passiones & affectus considerare velimus, patebit, quam fortia & fundatissima sunt Jura Imperatoris nostri, & quam imbellia sint Albani sive Clementis XI. & consequenter quod in facie Ecclesiæ Christianæ se Episcopus Romanus mirè prostituerit.

Et primò quidem ut in genere de iis Italiæ ditionibus, quas Pontifex Romanus possidet, aliquid dicamus, advertendum

tendum est, quòd etiamsi illæ omnes nec ex Jure Divino, nec ex dispositione Christi, sed ex facto humano & liberalitate Imperatorum provenerint, & Sedi Romanæ fuerint tributæ, nunquam tamen eousque liberalitas illa ex intentione donantium fuit extensa, ut Imperatores SUPREMUM & MAJESTATICUM Jus in eas ditiones à se abdicaverint, & Pontifici Romano ABSOLUTE tribuerint.

Nam ut non dicamus de antiqua illa donatione Constantini M. quam fictam esse supra diximus, neque etiam de Caroli M. Liberalitate, dicere hic attinet, quamvis etiam de illa satis constet, quod non fuerit absoluta, sed restricta per certas conditiones, manente ipsa Urbe Roma sub summo Imperio Cæsaris: Neque etiam de Donis Ottonis M. quem Principem omni Laude dignissimum calamo quidem pulchre affectato, sed maligno de scripsit *Emanuel Thesaurus abbas.* Sufficit hoc notasse, quod expresse idem Imperator in Donatione Ducatus Spoletani, & aliarum ditionum luculenta hæc adjecit verba.

SALVA SUPER EOSDEM DUCATUS NOSTRA IN OMNIBUS DOMINATIONE, ET ILLORUM AD NOSTRAM PARTEM ET FILII NOSTRI SUBJECTIONE.

Et Paulo post Specialius adhuc subjunguntur ista verba. *Omnium quæ superius leguntur*, id est *Provinciæ, Civitates, Urbes*, Oppida, Castella, Territoria, Patrimonia, atque insulæ, censusque & Pensiones, ad partem Ecclesiæ B. Petri Apostoli atque Pontificum in Sacratissima illius sede residentium, nos defensores esse testamur, ad hoc, ut ea in illius ditione, ad UTENDUM & FRUENDUM atque disponendum firmiter valeant obtineri:

„SALVA IN OMNIBUS POTESTATE NOSTRA, ET FILII NOSTRI, POSTERORUMQUE NOSTRORUM, secundum quod „in PACTO & CONSTITUTIONE, ac PROMISSIONIS firmitate

 „Euge-

„ Eugenii Pontificis successorumque illius continetur: Id „ est, ut omnis Clerus, & Universa populi Romani nobili- „ tas propter diversas necessitates, Pontificum IRRATIONA- „ BILES erga populum sibi subjectum] ASPERITATES re- „ tundendas, Sacramento se obligent, ut futura Pontifi- „ cum Electio, Canonicè & juste fiat; & ut ille qui ad hoc „ Sanctum atque Apostolicum Regimen eligitur, non ante „ consecratus fiat Pontifex, priusquam talem in præsentia „ MISSORUM nostrorum vel FILII nostri, seu Universæ Ge- „ neralitatis faciat promissionem, pro omnium satisfactio- „ ne, atque futura conservatione, qualem Venerandus „ Spiritualis Pater noster Leo sponte fecisse dignoscitur.

Ex quibus liquet donationes istas sub certis CONDITIONIBUS esse factas, & prima quidem fuit;

Ut JUS MAJESTATICUM & SUPREMUM semper remaneret apud Imperatorem & Successores.

Secundo, ut DOMINIUM UTILE saltem pertineret ad sedem Petri Apostolicam.

Tertio, ut Electio Pontificis fiat juxta præscriptum Cæsaris & in præsentia Legatorum.

Quarto, ut Confirmatio Pontificis resideret apud Imperatorem, & Successores; ita ut Pontifex non esset, nisi per confirmationem Cæsaris.

Denique, ut juratò promitteret Pontifex, se satisfacturum Cæsaris voluntati, & populum asperè non ampliùs, ut hucusque habiturum.

Cum verò hactenus conditiones istæ à Pontifibus vel ratò vel nunquam ex integro adimpletæ fuerint, & summa accedat INGRATITUDO, per se patet, donationes omnes istas licitè revocari posse, maximè de præsenti, ubi Clemens XI. omnes istas armis SPIRITUALIBUS & temporalibus

ralibus oppugnat. Contra ingratos Lex Romana Civilis disponit, quod donationes revocari queant: Et quidem primo ob *atroces injurias*; nulla autem atrocior est, quam cum Papa *Cæsarem* publicè vocat REBELLEM. Secundò si manus inferantur donatori. At Papa jam numerosum exercitum contra *Cæsarem* instruit. Tertiò, si jacturam Bonorum inferre voluerit donatarius: Sed Papa, si posset, omnia Italiæ Bona Cæsari eriperet. Quartò, si vitæ periculum struxerit. Quid hîc non audet Clemens XI. sanctæ JOSEPHI animæ MORTEM per Excommunicationem inferre conatur. Sanè si ullus unquam *Donatarius* meritus est, ut *Dona* & beneficia revocentur tum id præsens Pontifex meritus est. Ut non dicamus, quod alibi plenius excutiemus, quod omnes istæ donationes in fragili HYPOTHESI nitantur, quæ nullum JUS fundat.

Sed agamus ex alio Juris Titulo de Parma & Placentia. Hæ urbes, quæ cum vicinia Ducatum jam faciunt, ad Statum Mediolanensem pertinere, res est manifesta; unde Jovius lib. 27. recenset, quod cum Carolus V. Imperator Bononiam tenderet, & Clemens VII. juramentum exigeret, quod libertatem seu potius Jurisdictionem Pontificis violare non vellet, Cæsar id quidem fecerit, SALVO tamen JURE suo; quod scilicet habeat in PARMAM & PLACENTIAM. Verba *Jovii*, & ex eo *Surii* ita se habent.

Hoc etiam anno, Clemens Pontifex, adventanti è Genua Cæsari, & *Placentiam* contendenti, tres Legatos obviam misit, qui à pontificiæ ditionis fines intrante, solitum jusjurandum acciperent, nunquam ipsum Pontificis Libertatem violaturum. Juravit Cæsar verbis ritè conceptis, sed ita tamen ut DE JURE SUO NIHIL remissurum testaretur. Quod inquiunt, isti Historici, ideo fecerit, quod Parmam & Placentiam Mediolanensi Imperio antiquitus attributas, repeteret: quandoquidem MEDIOLANENSE DOMINIUM Imperatorum & Imperii semper beneficiarium fuerit.

Imò

Imò Cæsar jam anno 1526, adeoque tribus annis ante modo dictum Juramentum Clementi VII. tumultuanti quod Carolus militem in Parmensi ditione aleret, eodem modo, quo hodie Imp. JOSEPHUS, ex Hispania sequentia scripsit:

„In quem usum non tam exagitandum videtur à Curia Romana, si „nostri Duces & milites, qui sua virtute ac viribus PARMAM atque Pla„centiam Ecclesiæ reddidere, ac ab hostium finibus evulsere, totiesque „tutati sunt, ut illis victum quærerent, ac de his, prout de reliquis ab „hostibus recuperatis disponendum censerent: Potissimum cum ita hæ „Civitates essent ex fœdere *Leonis* consignatæ, tenendæ duntaxat Eo „JURE, quo ante per ipsum *Leonem* tentæ fuerunt. Quod JUS tamen „nullum erat, quandoquidem ad FEUDUM pertinerent IMPERII, „essentque PARS DUCATUS MEDIOLANENSIS: & illis NUL„LUM Ecclesia Romana TITULUM VALIDUM, nec ab IMPE„RIO, nec ab EO, qui dare posset, obtinuerit.

Sic & Guicciardinus celebris & fide dignus Historicus memorat, quod ante Caroli V. regimen, Anno 1513. Julio 2. Pontifice mortuo Pro-Rex Neapolitanus nomine Ferdinandi Regis Catholici, Caroli V. Avi materni *Placentiam* urbem occuparit, tanquam partem Ducatus Mediolanensis; Placentiæ exemplum secutam esse *Parmam*.

Ubi velut *in transitu* notamus quod in eadem Guicciardini pagina, indoles Julii secundi Pontificis simili pene ratione descripta sit ab ingenuo illo Scriptore, quemadmodum hodie Albani seu Clementis XI. in praxi se ostendit; nempe quod fuerit Princeps animi & constantiæ admirandæ, sed impetuosi, & conceptuum excessivorum, qui, quod ipsum non præcipitem dederint, Reverentia Ecclesiæ, discordia Principum, & conditio temporum potius in causa fuit, quam PONTIFICIS PRUDENTIA. Dignus certe omni gloria fuisset, si *Principatum* tenuisset secularem: aut si eam curam, & diligentiam, quam habuit pro bello ad exaltandam in TEMPORALIBUS Ecclesiam, adhibuisset ad ædificandam eam in Spiritualibus, per viam pacis, in quo omnes suos Antecessores longè superasset: nihilominus reperiuntur nonnulli, qui amissis veris vocabulis & sincero rerum æstimio judicant; magis pertinere ad officium Pontificis per sanguinem Christianum variasque artes Imperium Sedis Apostolicæ dilatare, quam videre, ut per BONUM EXEMPLUM pietas ac boni mores in Ecclesia cultiventur; Et in hoc MA-

GNOS

GNOS se putant, & toti mortalitati supereminere, quod Christi sint Vicarii.

Verissima Historici Itali Verba, qui Romanæ Curiæ principia, tanquam Secretarius Status, perspectissima habuit.

Sed redeamus ad Parmam; & profundius inspiciamus, ipsene Pontifex Parmam ac Placentiam Bono ac sincero Animo Ecclesiæ vindicaverit. Sane Thuanus Historicus Nobilissimus, & qui artes Curiæ Romanæ probè introspexerat, rem longè aliter refert, & apertè docet, quod Paulus III. Pontifex posthabito Amore Ecclesiæ Ducatum Parmensem Filio suo NOTHO P. *Aloysio* attribuerit; facta permutatione cum exiguo & longè minore Principatu Camertiensi: Res illa quidem in ipso Consistorio Romano non sine magna contentione tanquàm scandali plena, acta fuit; *Paulo III. Pontifice* semet nimis prodente, quod longè magis SPURIUM suum ALOYSIUM amaret hominem contaminatissimæ vitæ, ac Carnifice potius quam Imperio dignum, quia sodomiæ scelere se maculaverat, quam Ecclesiam; unde etiam Dominicus Tranius Cardinalis Vir Magnæ in Collegio Authoritatis publicè reclamabat, tractis haud paucis ex Cardinalium Numero in sententiam; Verum Heinr. Ardingellus. qui Paulo ante in Cardinalium Collegium allectus, ac tam recenti beneficio obnoxius Pontifici, ac suorum libidini (verba sunt Thuani) ancillabatur, pro Pontifice, atque ejus turpissimo NOTHO stabat, contra Ecclesiam.

Tulit eam Rem gravissime Carolus V. ut idem Historicus refert, quippe qui *Parmam* ac *Placentiam* ad Mediolanensem statum pertinere, contendebat; unde licet ratificationem TRANSLATIONIS illius à Cæsare Pontifex Paulus Pont. iteratis vicibus desideraret, eam tamen impetrare à Cæsare non potuit.

Ex qua ipsa relatione Thuani Historici Galli fide dignissima satis apparet.

Primo, quod Carolus V. Parmam & Placentiam semper pro portione status Mediolanensis habuerit ; qui status extra omnem Controversiam ad Imperium Romano-Germanicum pertinet.

Secundo, quod ipse Pontifex Paulus III. superioritatem & Jus Majestaticum Cæsaris agnoverit in Parmam & Placentiam, aliàs non opus habuisset, ut RATIFICATIONEM ejus ad ALIENATIONEM & translationem in domum suam hoc est Farnesianam exposceret.

Tertiò, etiam liquet quanta sit injustitia Clementis XI. erga Cæsarem nostrum Josephum, dum ipsum REBELLEM in Ecclesiam vocat, quia Milites suos in hybernis Parmæ & Placentiæ habet ; & contra æquissimo animo ALIENATIONEM illam fert, cum ejus Antecessor Paulus ex Amore in Filium Nothum terras illas & pingues provincias Ecclesiæ eripuit, & in Aloysium transtulit. Annon majore jure dictus Paulus perfidus & rebellis dici posset. Si quidem id verum est, quod *Parma* & Placentia, pleno Jure ad Ecclesiam pertineat.

Sed adhuc majus est documentum, quam Nullo fundamento nitatur Papæ prætensio in Absolutum & directum Imperium istius ducatus; nam cum Anno 1547. occiso sæpè dicto Aloysio Pontifex restitutionem à Carolo V. exposceret, (Miles enim Cæsareus *Parmam* & *Placentiam* occupaverat,) & Paulus III. pro fundamento JURIS ad certas conventiones, ac fœderalem pactionem provocaret, Cæsar respondit, si tabulæ authenticæ talis conventionis & fœderis cum Clemente VII. monstrari possent tum se cessurum. Verum cum Tabularum tantum Exemplar exhiberetur descriptum ex Codice in Hadriani mole asservato, in quem JURA Ecclesiæ Romanæ referri

ferri solent, & se ejus minime memorem diceret Cæsar, quippe quod se juvene cum Clemente VII. transactum fuisset; res Didaco Hurtado de Mendoza Sinensium Præsidi demandata est, qui Romam profectus, cum Originale Cæsaris Manu subscriptum exhiberi non potuisset, re cum Juris Consultis communicata, pronunciatum fuit, Tabulas illas esse *Suppositities*, nec fidem ullam mereri.

Ita Pontifex cum Curia Romana in mala fide deprehensus, nihil eo tempore à Cæsare obtinuit, sed potius Parmenses & Placentini Cives Homogium seu Juramentum Fidelitatis Cæsari præstitere.

CAPUT III.

De Judice Competente,

An Pontifex Rom. vel Imperator Romanus in Lite præsente circa *Parmam* & *Placentiam* possit esse Judex.

SUMMA.

1. *Producitur querela Clementis XI. quod Imperator Rom. judicium sibi sumserit in hoc negotio.*
2. *Eadem querela à Cæsare contra Clementem instituitur.*
3. *Demonstratur ex Antiquitate, quod ad Cæsares pertineat Jurisdictio & Judicium decisivum in Episcopum Rom. maximè in rebus temporalibus.*
4. *Per Exempla ostenditur, quam sæpè injusta fuerint judicia & decisiones Romanorum Pontificum.*
5. *Docetur, quod etiam in Rebus Ecclesiasticis Pontifices ambitiosi Christianissimum fallere allaboravint.*

PErgimus nunc ad illud punctum, ubi Clemens XI. formidanda quadam phrasi Cæsari objicit, quod ipse in

Causa Christi, ejusque in terris Vicarii velit judicare: Quod est dicere, quod Josephus noster Augustus gravissimi sacrilegii Reus sit, dum in controversia circa Urbem Commachium, Parmam, Placentiam, & Ferrariensem Ducatum Judex voluerit esse; Cum tamen hæc Bona Christi sint ejusque Vicarii, hoc est Pontificis Max.

Contra Imperator Romanus gravissimè conqueritur in Mandato suo; primo quod Curia Romana Res Seculares tractare conetur per arma spiritualia. Secundò, quod eadem Curia Rom. antiquissima Imperii Jura in *Parmam* & *Placentiam* velit convellere. Tertiò, quod Pontifex Judicium sibi in propria causa arrogarit, atque per Bullas minis, ac fulminibus refertas illud firmare attentatit.

Videamus ergò cujusnam querelæ justiores sint: Et quidem quod ad nostrum Sacrat. Cæsarem attinet, Causa ejus multis *Titulis* est melior, & querela justior quam Pontificis; Nam, ut ex superius dictis patet, Parma & Placentia semper ad Imperium pertinuere, tanquam portio Status Medolanensis. Cæsar itaque suum & Imperii militem in istis Civitatibus tanquam in Feudo quodam sustentans, atque alimentum ab iis prætendens, usus est Jure Suo, neque opus habuit, ut alienum Judicium expectet, cum ipso *Optato Milevitano* teste, Cæsar neminem habeat supra se, nisi DEUM.

Secundò, Imperatores Christiani antiqui judicium & sententiam de Episcopis Romanis dicere sunt soliti, non contra. Unde Gregorius I. & ipse Pontifex Rom. lib. 3. Epist. 61. Imperatorem *Serenissimum suum Dominum appellat, se verò indignum ejus Servum, qui et debeat obedientiam.* Eadem habet lib. 4. Ep. 31. & 34. Neque existimandum est, quod *Gregorius* per hypocrisin quandam, atque affectatam humi-

humilitatem id dicat; prout Pont. Clemens XI. ejusque Antecessores ab aliquot seculis faciunt, qui se SERVOS SERVORUM vocant, dum de FACTO DOMINIUM in DOMINANTES exercent, ut inprimis præsens Pontifex facit, cujus Bullâ contra Cæsarem nihil potest esse ambitiosius.

Hoc, inquam, Statui cum fundamento Veritatis non potest; Verba enim ipsa contrarium testantur, & confirmat sinceritatem Gregorii Epistola 61. lib. 2. in qua se SERVUM Imperatoris vocat JURE REIPUBLICÆ: & paulo post, DEUM sic introducit loquentem ad Imperatorem *Sacerdotes meos tua manui commisi*; ibidemque Gregorius fatetur se subjectum esse ejus jussionibus.

Porro Leo IV. in ipso *Jure Can. c. de Capitul.* 10. *dist.* expresse humiliterque pollicetur *Lothario* primo, Ludovici Pii filio, se Imperatoria Capitula & jussa, tum etiam Caroli M. & Ludovici Pii præcepta, *diligenter, inviolata fide, indesinenter, perpetuo, modisque omnibus observaturum: MENDACEM appellans, eum, qui secus dixerit, vel in posterum dicet*: ubi miranda, si non pudenda est, quorundam Canonistarum explicatio; qui ajunt Leonem Pontificem ex pusillanimitate, & vano metu istam confessionem edidisse; quos ipse Leo redarguit, dum ipsos MENDACII arguit.

Profectò nihil magis ostendit animum Leonis imperteritum, quam Victoria ingens, quam contra Saracenos reportavit. Res ita describitur à *Platina* in Leone IV. & ab aliis: Saraceni, cum Ostiæ urbem & portum invasissent, ut ex improviso Romam, (belli suspicione liberam, præsidiario milite destitutam, præsentia subsidioque Cæsaris, quem in tanto periculo implorare cives non poterant, nudatam) sine labore expugnarent, atque diriperent; Leo Episcopus Romanus strenui bellatoris personam inducens,

populum ad arma convocatum, duxit adversus Saracenos quos alacri pugna aggressos, fugavit, multis in prælio occisis, aliis captis, & in servitutem adactis, vel ultimo supplicio affectis. Captivos autem coegit ad instaurationem profanorum & sacrorum urbis locorum, quæ Saracenorum olim majores diruerant. Deinde *Leo* per nuncios apud Imperatorem in Gallia degentem factum excusavit, periculi improvisi necessitatem causatus, & rem totam explicuit, ne in IMPERATORIS AUCTORITATEM & JURISDICTIONEM peccare, aut aliquid de illa decerpere videretur.

Et sanè si Judicio Definitivo Pontificum standum esset, Res non IMPERATORIS tantum, sed & REGUM ac POTENTIARUM omnium in summo staret periculo; Omnia enim Imperia & Regna, merè essent *precaria*, ab arbitrio nudo Pontificis dependentia: Ostendimus id ab Exemplis variis & maximè Gregorii VII. qui primus Pontificum eousque vesaniæ & impudentiæ progressus est, ut TEMPORALIA omnia sibi arrogaret: Is enim teste Augustino *Steucho* Papæ Bibliothecario, libr. 2. cap. 131. Hispaniæ regnum ad se pertinere dixit; Epistolæ initium, quam ille Pontifex ad Reges & Principes Hispaniæ scripsit; ita se habet:

„*Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Regibus, Comitibus, cæterisque Hispaniæ Principibus Salutem, Notum vobis fieri volumus, Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutionibus B. Petro & S. Romanæ Ecclesiæ in jus &* PROPRIETATEM traditum esse. &c. &c. Et hanc Epistolam ait Steuchus religiose in Bibliotheca Rom. asservatam esse.

De Hungariæ Regno apud eundem Bibliothecarium pag. 180. Talis Epistola Dictatoria legitur.

Gregorius servus servorum Dei, Salomoni Regi Ungarorum salutem & Apostolicam benedictionem. Literæ tuæ ad nos tardè pro-

pter moram nucii tui allata sunt. Quas quidem multo benigius manus nostra suscepisset, si tua incassa conditio non adeo B. PETRUM *offendisset. Nam sicut à majoribus patriæ tuæ cognoscere potes,* REGNUM *Hungariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ* PROPRIUM *est, à Rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & potestate sua oblatum, & devote traditum. Propterea* HENRICUS *piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri* REGNUM *istud expugnans, victo Rege, & factâ victoriâ, ad corpus B. Petri lanceam coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita sint, tu tamen in cæteris quoque à* REGIA VIRTUTE ET MORIBUS *longe discedens, jus & honorem S. Petri (quantum ad te) imminuisti & alienasti, dum ejus regnum à Rege Teutonicorum in beneficium (sicut audivimus) suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam B. Petri aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse si justitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine Apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, Apostolicæ non regiæ majestatis beneficium recognoscas.* Judice ergo ambitiosissimo Gregorio VII. *Hispania* & *Hungaria* ad Pontificem pertinet. Quanta impostura? Provocat ad *Petrum* qui nec ut *piscator* nec ut *Apostolus* vel per Somnium de Hungariæ regno cogitavit, multò minus ut *triumphans* in Cælo. Annon hoc est toti Christianissimo fucum facere & sub *Religionis* prætextu turpissimè decipere.

De ipso Imperio Romano, quam ambitiosè idem Pontifex disposuit? nam Heinricum Imperatorem non saltem Imperio privare voluit, sed & excommunicavit, qui vicissim Wormatiæ concilio coacto, cui Episcopi omnes Germaniæ & Galliæ, interfuere tale CONCLUSUM à dictis Episcopis formatum contra Gregorium publicavit.

Quia

Quia Hildebrandus, qui se Gregorium nominat, Divinæ Majestati refragatur, Christianissimo Principi Divinitus constituto, & à Deo inaugurato resistit, versutus, fallax, obscurus, callidus; IMPERIUM ORBIS *affectat, & quidem Titulo Christi sub ovina pelle. Quia porro Testis Judex, accusator, inimicus idem est, neminem rite inauguratum esse docens, nisi qui ab eo Sacerdotium atque ab ejus* AURI SUGIS *emendicaverit:*

Has ob Causas Sanctissimus Imperator, Pontifices, Senatus populusque Christianus illum Hildebrandum abdicandum, sibi eundem non placere, nec oves lupo committendas censent. Vid. *Aventinus* libro. V. Misit postea illa ipsa Synodus literas ad Gregorium Pontificem, ubi inter alia ista leguntur.

Quia & introitus Tuus tantis periculis est initiatus, & Ecclesia Dei, per abusionem novitatum Tuarum tam gravi tempestate periclitatur, & vitam per conversationem Tuam tam multiplici infamia dehonestasti, adeoque obedientiam, quam nullam promisimus, nec de cætero ullam servaturos esse renunciamus. Et quia nemo nostrum, ut Tu publicè declamabas tibi hactenus fuit Episcopus; Tu quoque nulli nostrum à modo eris Apostolicus.

Quanquam autem ambitiosus ille Gregorius animum nondum abjecerit, sed Romæ Año 1076. Pseudo-Concilium habuerit, in quo denuo Heinricum Regno Germaniæ atque Italiæ excidisse, & populos à juramento fidelitatis liberos esse dictaverat, Tamen postea ab Heinrico Roma pulsus, in exilio mortuus est, postquam *Gemblacensi* teste, confessus est: se Diabolo suadente odium & iram in Universum Genus humanum concepisse.

Jam rogo Clementem XI. quia Gregorii hujus vestigiis tenaciter insistit, atque Imperatorem non ex Italia tantum

tum

tum pellere satagit, sed & Excommunicationis fulmem contra ipsum vibrat, quid de ipsius Bullis sit tenendum. Sanè iisdem penè in dictis Bullis suis utitur verbis Clemens, quibus Gregorius, homo juxta Historicos, turpissimus.

Audi, in Decreto suo dicebat, me Apostolorum Princeps *Petre, Tu mihi, beatusque Paulus frater tuus, optimi prater crebros testes esse potestis, me invitum ad sancta tua Ecclesia gubernationem esse potractum: Ob eam rem mihi persuadeo, tibi placere, ut ego populo Christiano, Tibi pracipuè à Deo commisso, prasim. Hac igitur fiducia nixus, pro Ecclesia tua honore ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii & Spiritus S. jure anthoritatis tua, Henrico Regi, Henrici Imperatoris filio, qui adversus Ecclesiam tuam inaudita superbia insurrexit, toto Regno Germania atque Italia interdico, &c. ut gentes sentiant, quòd Tu es Petrus, & super tuam Petram filius Dei adificaverit Ecclesiam suam.*

Quis hic non videt temerarium Gregorii judicium imò scelerarum. Heinricum Imperatorem Imperio exuere tentat, & quidem sub Petri nomine, qui nihil minus in Epistolis suis suasit, quam ut *ministri* Dei contra Magistratum *rebellent*; nec Christus unquam Petro hanc potestatem dedit, ut Cæsares deponat. Unde ergò Papa eam habet?

Quam nihil de Judicio vicarii Christi habuit Hadrianus IV. qui summis viribus contendit Imperium Romanum esse Papale Feudum, Coronamque & Dignitatem Imperialem esse Beneficium Papale. An unquam Christus *Tiberio* vel *Pilato* Controversiam Status de Imperio Romano movit? uti hi Pontifices.

Ex quibus Exemplis, quorum ingentem segetem addere possemus satis elucescit, quod nemo minus in præsenti casu ubi agitur de Bonis Temporalibus, de terris, Pro-

 vinciis,

vinciis, ac Principatibus Judex esse possit, quam Pontifex Romanus: Primò quia Immensa avaritia & habendi *Libico* jam à multis seculis Romæ dominatur. Deinde quia Judicia ipsorum jam sæpè deprehensa sunt injustissima. Aliàs Judex qui semel deprehenditur malus & injustus, semper ita præsumitur. Quid ergo sperandum de illo, qui cum scandalo totius Christianissimi centies deprehensus est. Ut non repetamus, quod supra diximus, quod Judicium in propria Causa contra omnia Jura militet.

Unam addimus fallaciam, quæ de ambitione & dolis Papæ etiam in Ecclesiasticis testatur.

Res ita se habet. Anno 485. in urbe Carthaginensi Concilium & quidem Universale habitum est, ad quam Episcopus Rom. tres legatos *faustinum, Philippum* & Asellum cum his mandatis misit, ut Jus Sedi Rom. Nicœna Synodo tributum, nimirum ut ab omnibus Metropolitanis ad Ipsum appellaretur, sibi intactum maneret: Tum repente scriba nomine *Daniel* jussus fuit caput illud synodi dictæ, quod Pontifex Rom. pro Causæ suæ *Instrumento* adjunxerat, diligentius investigare. Omnes enim qui aderant Episcopi, negabant, se tale unquam in synodo Nicœna legisse. Nec scriba *Daniel* istam PRÆEMINENTIAM licet diligenter ACTA evolvens invenire poterat: Decretum itaque fit, ut certi homines *Constantinopolim* & Alexandriam mitteretur, qui *Genuina* & AUTHENTICA EXEMPLARIA inspicerent; Qui cum anno vertente redirent, & renunciarent, nihil tale ullibi repertum. Conclusum est, ut communi consensu Concilii Pontifici rescriberetur, Episcopum Rom. Diœcesi & finibibus suis debere esse contentum. Graves etiam additæ literis querelæ de *faustino* legato, quod immodestè se erga Synodum gesserit, Decreto subscripsere 230. Episcopi,

fcopi, quos inter etiam *Augustinus*. Quanta quæſo hæc fuit fallacia SEDIS ROM. etiam in SPIRITUALIBUS.

Quæres, quis ergo erit Judex inter Imperatorem & Pontificem; Reſpondeo, quia duplicibus armis Pontifex pugnat; Spiritualibus ſcilicet, & Temporalibus, Ideoque quoad Spiritualia Rem cenſemus eſſe devoluendam ad Concilium Generale. Hæc enim praxis fuit Eccleſiæ Chriſtianæ à prima ejus Nativitate.

Conſilium ergò Generale, quod non tantum juxta Deciſionem legitimam Conſtantienſis & Baſileenſis Synodi SUPRA PAPAM JURE DIVINO eſt, juxta illud DIC ECCLESIÆ, judicare debet; an EPISCOPUS ROMANUS legitimè utatur CLAVE LIGANTE: contra IMPERATOREM, benè factorem, ac defenſorem Eccleſiæ: An BONA TEMPORALIA ſeu JURA PROVINCIARUM ET REGNORUM pertineat ad ARMA SPIRITUALIA? An Chriſtus ullibi POTESTATEM talem EPISCOPO Romano dederit, ut inſciis Epiſcopis aliis omnibus, Cæſarem non ob Crimen mortale, nec ob hæreſin, ſed ob PROPRIUM PONTIFICIS INTERESSE, atque ob diſtinctionem inter DOMINIUM DIRECTUM & UTILE ſeu INDIRECTUM, poſſit ab Eccleſia ſeparare, SACRAMENTA denegare, habere pro PUBLICANO, ac qui vitandus ſit. Hoc, inquam, definire, ad CONCILIUM GENERALE pertinet, ubi non exiſtimo quod *Germania* ſit futura timidior, quam *Gallia*, maximè his Temporibus, ubi conſtans eſt aſſertio, quod nullus Regum Galicorum poſſit *excommunicari* à Roma: Quod ea ſit Libertas Eccleſiæ Gallicanæ. Sanè ingens eſſet Germaniæ à Cæſarum Auguſta Corona ſplendenti Ignominia, ſi inferior in his partibus eſſet, quam Gallia: Sed de CONCILII in ſequentibus plura. Superaddimus denique JUDICIUM ſubactum, candidum & apertum nobiliſſimi ſcriptoris *Guicciardini*, quem ſupra quoque laudavimus.

JUDICIUM

Sincerum ac verum

FRANCISCI GUICCIARDINI,

Nobil. Florentini

De Pontificum crescente ambitione, libidine Imperandi, ac Modis acquirendi.

Mala Fide Curia Romana expunctum ex lib. 4. Fol. 156.

PONtifices, inquit, à primis Imperatoribus per multa annorum curricula vexati, post Constantini ad Christum conversionem, ac eo terrore liberati, rebus sacris tantum operam dantes, in reliquis Imperatorum auctoritati fere subjecti, sub eorum umbra quieverunt. In hoc humili statu diutissime post vitam egerunt, ab Imperatorum commercio, propter magnam in Italia Longobardorum potentiam sejuncti. Post autem Franciæ regum beneficio opibus & potentia aucti, cum Imperatoribus conjunctissimi stetere, ab illorum auctoritate, dum
NB. imperatoria majestas in Caroli Magni posteris mansit, alacri animo pendentes, quod quidem fiebat, tum propter beneficia vicissim data & accepta, tum etiam ob Imperatorum potentiam: quæ ubi post cœpit inclinare, & quasi flaccescere, illorum amicitia prorsus rejecta, ita se gerere cœperunt, quasi Pontificiæ dignitatis esset leges potius Imperatoribus dare, quam accipere. Cumque à veteri illo, quo subjecti Imperatoribus, statu penitus abhorrerent, veritique ne ille Romæ atque alibi antiqua Imperii jura recuperare, ut quidam illorum aut potentia majore, aut animo erectiore efficere conabantur, tentarant, armata vi
NB. sese Imperatorum potentiæ, ab illis tyrannis qui se Principes appellabant, & ab illis urbibus, quæ sese in libertatem vindicaverant, nec amplius imperii auctoritatem agnoscebant, adjuti, opponebant. Hinc factum est, ut Pontifices sibi indies plura majoraque arrogantes terroremque armorum cœlestium in res terrenas caducas vertentes, JUS sibi atque auctoritatem in Imperatores, quasi Christi in terris vices gerentes, assumpserunt; affirmantes ad se multis in rebus regnorum atque imperiorum procura-

procurationem pertinere. Qua persuasione freti, Imperatoribus interdum imperii dignitatem abrogabant, Septemviros Augustales, ut alios in eorum locum surrogarent, incitabant. Vicissim quoque Imperatores aut ipsi creabant novos Pontifices, aut ut crearentur, procurabant. NB. Ex his controversiis, atque etiam quod Pontifices per annos septuaginta Avenione sedem habuissent, nec non ex illo Ecclesiæ dissidio, quod in Italia Pontifice Romam revertente, est exortum, cum Ecclesiæ status admodum concussus ac debilitatus esset, factum est, ut in oppidis Ecclesiæ subjectis, præcipuè vero in ea Italiæ parte, quæ olim Gallia rogata dicta est, plures in eis cives potentia cæteris superiores, in sua quisque patria TYRANNIDEM occuparent: quos Pontifices aut persequebantur, aut, si ad eos opprimendos impares essent, quasi Ecclesiæ beneficio regnare jubebant, aut aliis in eos *excitatis*, regnandi JUS attribuebant. In hunc igitur modum Galliæ togatæ oppida, proprios dominos ac plerosque quasi Ecclesiæ vicarios habere cœperunt. Eodem modo *Ferraria* Actio Atestino à Pontifice gubernanda tradita eidem est, post beneficii nomine attributa, ex quo deinde ea familia illustrioribus honorum titulis est exornata. NB. Sic Bononia ab Joanne Vicecomite Mediolanensium Archiepiscopo occupata, eidem pari jure concessa fuit. Iisdem quoque de causis in multis Piceni oppidis, divi Petri patrimonio, & Umbria, quæ nunc Ducatus appellatur, plures Reguli, pars invito, pars ad consentiendum adacto Pontifice, sunt exorti; nec Longobardia in imperii præsertim oppidis, ab hujusmodi mutationibus immunis fuit: sic ut qui in Flaminia atque aliis Pontificiis locis dominabantur, à Pontificum obedientia deficientes, ad Imperatorum auctoritatem confugerent: & vicissim qui Mediolanum, Mantuam, & alia imperii oppida tenebant, à Pontificibus regnandi jus obtinerent. Roma vero quanquam nomen Ecclesiæ temporibus illis præ se ferret, magistratibus NB. tamen regebatur propriis & suis: & quamvis initio cum Avenione in Italiam postliminio revertissent, tanquam domini agnoscerentur, paulo tamen post Romani creato Magistratu, quod Banderensium appellabant, in veterem contumaciam recidere; unde cum Pontificum auctoritas apud eos esset perexigua, & ipsi aliò translata sede, Romam reliquere, donec Romani ad paupertatem redacti, atque in magnam propter ejus absentiam confusionem delapsi, cum annus millesimus quadrin-

gentesimus appropinquaret: in quo anno si Pontifex in urbe esset, sperabant ingentem fore propter annum secularem, quem Jubileum vocant, mortalium concursum, precibus quam demississimis Bonifacium Pontificem orarunt, Romam rediret: id si faceret, Banderensium magistratum abrogaturos, seque ei obsequentes in omnibus futuros. His conditionibus in urbem reversus, dum Romani illius anni QUESTUM, unum attendunt, Pontifex occupato omni urbis imperio, Angelicam arcem communivit eique præsidium imposuit: cujus successores ad Eugenium usque etsi non paucis difficultatibus conflictati, nihilominus dominatu post plene stabilito insecuti Pontifices, citra ullam controversiam, Romæ sunt PRO SUA LIBIDINE dominati.

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis, divinorumque præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divina auctoritate alio, NB. quam quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, principes potius gentium quam rerum sacratum Pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negotia, non jam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes: NB. sed pecuniæ immensa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ insidiæ ad pecuniam undique cogendam. In hunc finem audacissime arma cœlestia vibrare: profanarum sacrarumque rerum nundinationem impudentissimè exercere: hinc opes in immensum adauctæ, ac in totam ipsorum aulam effusæ: ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatesque nefandæ: nulla de successoribus cura, nulla maNB. jestatis perpetuæ pontificatus sollicitudo: sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios non modo ad opes immoderatas, verumetiam ad regna & imperia evehendi: non jam honores & emolumenta immerentes & bonos conferendo, sed plerunque AUCTIONANDO, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo. His moribus effectum est, ut excussa penitus ex animis hominum illa vetere erga Pontifices reverentia: tamen ex parte eorum auctoritas religionis, qua niNB. hil in terris ad homines vel impellendos, vel retinendos potentius invenitur; nomine & majestate, facultate qua pollent, Principibus, atque

atque iis qui apud illos maxime possunt, sacris beneficiis & honoribus conferendis, gratificandi adjuta sustentetur. Qui cum sciant magna se in admiratione mortalium esse: & qui adversus eos arma sumunt, eos gravis infamiæ notam, & sæpenumero aliorum Principum odia subire: ac quomodocunque res cadat, perexiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare: & victores ex suo arbitrio victoria usuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: ad hæc suos propinquos ex privata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum auctores, novorumque incendiorum faces in Italia extiterunt. Sed ut ad id, à quo justissimus publici damni dolor me longius actiusque, quam leges historiæ forsitan permittant abduxit, revertamur. Æmiliæ Flamin. &c. Hæc *Guicciardinus*: Quæ utinam attenderet *Christianismus*. Quam F e l i x foret. NB, NB.

CAPUT IV.

De Concilio Generali,

Quod Causæ graviores Rempublicam Ecclesiasticam concernentes in illo tractari debeant.

S u m m a.

1. *Ostenditur* Excommunicationem *Sacratissimi Imperii Capitis, à solo Episcopo Lateranensi, qualis Pontifex Rom. tractari non debere*
2. *Concilium esse supra Papam variis argumentis & Testimoniis Authenticis probatur:*
3. *Imperatoris Romani esse, tale Concilium convocare solidè ostenditur.*
4. *Statuitur, quod in Imperio Romano Archi-Episcopus Moguntinus sit Pontifex summus.*
5. *Quod Germania non minus in Libertatem vindicanda sit quam Gallia.*

Diximus in Antecedentibus, quod Lis inter Imperatorem Rom. & Pontificum, à Pontifice decidi tanquam J u d i c e i n P r o p r i a C a u s a, & qui sæpissimè

Ex qua ipsa relatione Thuani Historici Galli fide dignissima satis apparet.

Primo, quod Carolus V. Parmam & Placentiam semper pro portione status Mediolanensis habuerit; qui status extra omnem Controversiam ad Imperium Romano-Germanicum pertinet.

Secundo, quod ipse Pontifex Paulus III. superioritatem & Jus Majestaticum Cæsaris agnoverit in Parmam & Placentiam, aliàs non opus habuisset, ut RATIFICATIONEM ejus ad ALIENATIONEM & translationem in domum suam hoc est Farnesianam exposceret.

Tertiò, etiam liquet quanta sit injustitia Clementis XI. erga Cæsarem nostrum Josephum, dum ipsum REBELLEM in Ecclesiam vocat, quia Milites suos in hybernis Parmæ & Placentiæ habet; & contra æquissimo animo ALIENATIONEM illam fert, cum ejus Antecessor Paulus ex Amore in Filium Nothum terras illas & pingues provincias Ecclesiæ eripuit, & in Aloysium transtulit. Annon majore jure dictus Paulus perfidus & rebellis dici posset. Si quidem id verum est, quod *Parma* & Placentia, pleno Jure ad Ecclesiam pertineat.

Sed adhuc majus est documentum, quam Nullo fundamento nitatur Papæ prætensio in Absolutum & directum Imperium istius ducatus; nam cum Anno 1547. occiso sæpè dicto Aloysio Pontifex restitutionem à Carolo V. exposceret, (Miles enim Cæsareus *Parmam* & *Placentiam* occupaverat,) & Paulus III. pro fundamento JURIS ad certas conventiones, ac fœderalem pactionem provocaret, Cæsar respondit, si tabulæ authenticæ talis conventionis & fœderis cum Clemente VII. monstrari possent tum se cessurum. Verum cum Tabularum tantum Exemplar exhiberetur descriptum ex Codice in Hadriani mole asservato, in quem JURA Ecclesiæ Romanæ referri

ferri solent, & se ejus minime memorem diceret Cæsar, quippe quod se juvene cum Clemente VII. transactum fuisset; res Didaco Huttado de Mendoza Sinensium Præsidi demandata est, qui Romam profectus, cum Originale Cæsaris Manu subscriptum exhiberi non potuisset, re cum Juris Consultis communicata, pronunciatum fuit, Tabulas illas esse *Supposititias*, nec fidem ullam mereri.

Ita Pontifex cum Curia Romana in mala fide deprehensus, nihil eo tempore à Cæsare obtinuit, sed potius Parmenses & Placentini Cives Homogium seu Juramentum Fidelitatis Cæsari præstitere.

CAPUT III.

De Judice Competente,

An Pontifex Rom. vel Imperator Romanus in Lite præsente circa *Parmam* & *Placentiam* possit esse Judex.

SUMMA.

1. *Producitur querela Clementis XI. quod Imperator Rom. judicium sibi sumserit in hoc negotio.*
2. *Eadem querela à Cæsare contra Clementem instituitur.*
3. *Demonstratur ex Antiquitate, quod ad Cæsares pertineat Jurisdictio & Judicium decisivum in Episcopum Rom. maximè in rebus temporalibus.*
4. *Per Exempla ostenditur, quam sæpè injusta fuerint judicia & decisiones Romanorum Pontificum.*
5. *Docetur, quod etiam in Rebus Ecclesiasticis Pontifices ambitiosi Christianismum fallere allaborarint.*

PErgimus nunc ad illud punctum, ubi Clemens XI. formidanda quadam phrasi Cæsari objicit, quod ipse in

CAUSÂ CHRISTI, ejusque in terris VICARII velit judicare: Quod est dicere, quod Josephus noster Augustus gravissimi sacrilegii Reus sit, dum in controversia circa Urbem Commachium, Parmam, Placentiam, & Ferrariensem Ducatum JUDEX voluerit esse; Cum tamen hæc Bona CHRISTI sint ejusque VICARII, hoc est Pontificis Max.

Contra Imperator Romanus gravissimè conqueritur in MANDATO suo; primo quod CURIA ROMANA RES SECULARES tractare conetur per arma spiritualia. Secundò, quod eadem Curia Rom. antiquissima Imperii Jura in *Parmam* & *Placentiam* velit convellere. Tertiò, quod Pontifex Judicium sibi in propria causa arrogarit, atque per Bullas minis, ac fulminibus refertas illud firmare attentatit.

Videamus ergò cujusnam querelæ justiores sint: Et quidem quod ad nostrum Sacrat. Cæsarem attinet, Causa ejus multis *Titulis* est melior, & querela justior quam Pontificis; Nam, ut ex superius dictis patet, Parma & Placentia semper ad Imperium pertinuere, tanquam portio Status Medolanensis. Cæsar itaque suum & Imperii militem in istis Civitatibus tanquam in FEUDO quodam sustentans, atque alimentum ab iis prætendens, usus est JURE Suo, neque opus habuit, ut alienum Judicium expectet, cum ipso *Optato Milevitano* teste, Cæsar neminem habeat supra se, nisi DEUM.

Secundò, Imperatores Christiani antiqui judicium & sententiam de Episcopis Romanis dicere sunt soliti, non contra. Unde Gregorius I. & ipse Pontifex Rom. lib. 3. Epist. 61. Imperatorem *Serenissimum suum Dominum appellat, se verò indignum ejus Servum, qui ei debeat obedientiam.* Eadem habet lib. 4. Ep. 31. & 34. Neque existimandum est, quod *Gregorius* per hypocrisin quandam, atque affectatam humi-

humilitatem id dicat; prout Pont. Clemens XI. ejusque Antecessores ab aliquot seculis faciunt, qui se SERVOS SERVORUM vocant, dum de FACTO DOMINIUM in DOMINANTES exercent, ut inprimis præsens Pontifex facit, cujus Bullâ contra Cæsarem nihil potest esse ambitiosius.

Hoc, inquam, Statui cum fundamento Veritatis non potest; Verba enim ipsa contrarium testantur, & confirmat sinceritatem Gregorii Epistola 61. lib. 2. in qua se SERVUM Imperatoris vocat JURE REIPUBLICÆ: & paulo post, DEUM sic introducit loquentem ad Imperatorem *Sacerdotes meos tua manui commisi*; ibidemque Gregorius fatetur se subjectum esse ejus jussionibus.

Porro Leo IV. in ipso *Jure Can. c. de Capitul. 10. dist.* expresse humiliterque pollicetur *Lothario* primo, Ludovici Pii filio, se Imperatoria Capitula & jussa, tum etiam Caroli M. & Ludovici Pii præcepta, *diligenter, inviolata fide, indesinenter, perpetuo, modisque omnibus observaturum*: *MENDACEM appellans, eum, qui secus dixerit, vel in posterum dicet*: ubi miranda, si non pudenda est, quorundam Canonistarum explicatio; qui ajunt Leonem Pontificem ex pusillanimitate, & vano metu istam confessionem edidisse; quos ipse Leo redarguit, dum ipsos MENDACII arguit.

Profectò nihil magis ostendit animum Leonis imperteritum, quam Victoria ingens, quam contra Saracenos reportavit. Res ita describitur à *Platina* in Leone IV. & ab aliis: Saraceni, cum Ostiæ urbem & portum invasissent, ut ex improviso Romam, (belli suspicione liberam, præsidiario milite destitutam, præsentia subsidioque Cæsaris, quem in tanto periculo implorare cives non poterant, nudatam) sine labore expugnarent, atque diriperent; Leo Episcopus Romanus strenui bellatoris personam inducens,

populum ad arma convocatum, duxit adversus Saracenos quos alacri pugna aggressos, fugavit, multis in prælio occisis, aliis captis, & in servitutem adactis, vel ultimo supplicio affectis. Captivos autem coegit ad instaurationem profanorum & sacrorum urbis locorum, quæ Saracenorum olim majores diruerant. Deinde *Leo* per nuncios apud Imperatorem in Gallia degentem factum excusavit, periculi improvisi necessitatem causatus, & rem totam explicuit, ne in IMPERATORIS AUCTORITATEM & JURISDICTIONEM peccare, aut aliquid de illa decerpere videretur.

Et sanè si Judicio Definitivo Pontificum standum esset, Res non IMPERATORIS tantum, sed & REGUM ac POTENTIARUM omnium in summo staret periculo; Omnia enim Imperia & Regna, merè essent *precaria*, ab arbitrio nudo Pontificis dependentia: Ostendimus id ab Exemplis variis & maximè Gregorii VII. qui primus Pontificum eousque vesaniæ & impudentiæ progressus est, ut TEMPORALIA omnia sibi arrogaret: Is enim teste Augustino *Steucho* Papæ Bibliothecario, libr. 2. cap. 131. Hispaniæ regnum ad se pertinere dixit, Epistolæ initium, quam ille Pontifex ad Reges & Principes Hispaniæ scripsit; ita se habet:

„ *Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Regibus, Co-*
„ *mitibus, cæterisque Hispaniæ Principibus Salutem, Notum*
„ *vobis fieri volumus, Regnum Hispaniæ ex antiquis constitutio-*
„ *nibus B. Petro & S. Romanæ Ecclesiæ in jus &* PROPRIETATEM traditum esse. &c. &c. Et hanc Epistolam ait Steuchus religiose in Bibliotheca Rom. asservatam esse.

De Hungariæ Regno apud eundem Bibliothecarium pag. 180. Talis Epistola Dictatoria legitur.

Gregorius servus servorum Dei, Salomoni Regi Ungarorum salutem & Apostolicam benedictionem. Litteræ tuæ ad nos tar- de pro-

pter

pter moram nuntii tui allata sunt. Quas quidem multo benignius manus nostra suscepisset, si tua in cassa conditio non adeo B. PETRUM *offendisset. Nam sicut à majoribus patriæ tuæ cognoscere potes,* REGNUM *Hungariæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ* PROPRIUM *est, à Rege Stephano olim beato Petro cum omni jure & potestate sua oblatum, & devote traditum. Propterea* HENRICUS *piæ memoriæ Imperator ad honorem S. Petri* REGNUM *istud expugnans, victo Rege, & factâ victoriâ, ad corpus B. Petri lanceam coronamque transmisit, & pro gloria triumphi sui illuc regni direxit insignia, quo principatum dignitatis ejus attinere cognovit. Quæ cum ita sint, tu tamen in cæteris quoque à* REGIA VIRTUTE ET MORIBUS *longe discedens, jus & honorem S. Petri (quantum ad te) imminuisti & alienasti, dum ejus regnum à Rege Teutonicorum in beneficium (sicut audivimus) suscepisti. Quod si verum est, qualiter gratiam B. Petri aut nostram benevolentiam sperare debeas, tu ipse si justitiam vis attendere, non ignoras: videlicet te non aliter eam habiturum, nec sine Apostolica animadversione diu regnaturum, nisi sceptrum regni quod tenes, correcto errore tuo, Apostolicæ non regiæ majestatis beneficium recognoscas.* Judice ergo ambitiosissimo Gregorio VII. *Hispania* & *Hungaria* ad Pontificem pertinet. Quanta impostura! Provocat ad *Petrum* qui nec ut *piscator* nec ut *Apostolus* vel per Somnium de Hungariæ regno cogitavit, multò minus ut *triumphans* in Cælo. Annon hoc est toti Christianissimo fucum facere & sub *Religionis* prætextu turpissimè decipere.

De ipso Imperio Romano, quam ambitiosè idem Pontifex disposuit? nam Heinricum Imperatorem non saltem Imperio privare voluit, sed & excommunicavit, qui vicissim Wormatiæ concilio coacto, cui Episcopi omnes Germaniæ & Galliæ, interfuere tale CONCLUSUM à dictis Episcopis formatum contra Gregorium publicavit.

Quia

tum pellere satagit, sed & Excommunicationis fulmem contra ipsum vibrat, quid de ipsius BULLIS sit tenendum Sanè iisdem pene in dictis Bullis suis utitur verbis Clemens, quibus Gregorius, homo juxta Historicos, turpissimus.

Audi, in Decreto suo dicebat, me Apostolorum Princeps *Petre, Tu mihi, beatusque Paulus frater tuus, optimi prater crebros testes esse potestis, me invitum ad sancta tua Ecclesia gubernationem esse potractum: Ob eam rem mihi persuadeo, tibi placere, ut ego populo Christiano, Tibi pracipuè à Deo commisso, prasim. Hac igitur fiducia nixus, pro Ecclesia tua honore ex parte omnipotentis Dei Patris, & Filii & Spiritus S. jure authoritatis tua, Henrico Regi, Henrici Imperatoris filio, qui adversus Ecclesiam tuam inaudita superbia insurrexit, toto Regno Germania atque Italia interdico, &c. ut gentes sentiant, quòd Tu es Petrus, & super tuam Petram filius Dei adificaverit Ecclesiam suam.*

Quis hic non videt temerarium Gregorii judicium imò scelerarum, Heinricum Imperatorem Imperio exuere tentat, & quidem sub PETRI nomine, qui nihil minus in Epistolis suis suasit, quam ut *ministri* DEI contra Magistratum *rebellent*; nec Christus unquam Petro hanc potestatem dedit, ut Cæsares deponat. Unde ergò Papa eam habet?

Quam nihil de JUDICIO vicarii Christi habuit Hadrianus IV. qui summis viribus contendit Imperium Romanum esse PAPALE FEUDUM, CORONAMQUE & DIGNITATEM IMPERIALEM esse BENEFICIUM PAPALE. An unquam Christus *Tiberio* vel *Pilato* Controversiam STATUS de Imperio Romano movit? uti hi Pontifices.

Ex quibus Exemplis, quorum ingentem segetem addere possemus satis elucescit, quod nemo minus in præsenti casu ubi agitur de BONIS TEMPORALIBUS, de terris, Provinciis,

vinciis, ac Principatibus Judex esse possit, quam Pontifex Romanus: Primò quia Immensa avaritia & habendi *Libi-co* jam à multis seculis Romæ dominatur. Deinde quia JUDICIA ipsorum jam sæpè deprehensa sunt injustissima. Aliàs Judex qui semel deprehenditur malus & injustus, semper ita præsumitur. Quid ergo sperandum de illo, qui cum scandalo totius Christianissimi centies deprehensus est. Ut non repetamus, quod supra diximus, quod Judicium in propria Causa contra omnia Jura militet.

Unam addimus fallaciam, quæ de ambitione & dolis Papæ etiam in Ecclesiasticis testatur.

Res ita se habet. Anno 485. in urbe Carthaginensi Concilium & quidem Universale habitum est, ad quam Episcopus Rom. tres legatos *faustinum, Philippum* & Asellum cum his mandatis misit, ut JUS SEDI Rom. Nicœna Synodo tributum, nimirum ut ab omnibus Metropolitanis ad IPSUM appellaretur, sibi intactum maneret: Tum repente scriba nomine *Daniel* jussus fuit caput illud synodi dictæ, quod Pontifex Rom. pro Causæ suæ *Instrumento* adjunxerat, diligentius investigare. Omnes enim qui aderant Episcopi, negabant, se tale unquam in synodo Nicœna legisse. Nec scriba *Daniel* istam PRÆEMINENTIAM licet diligenter ACTA evolvens invenire poterat: Decretum itaque fit, ut certi homines *Constantinopolim* & Alexandriam mitteretur, qui *Genuina* & AUTHENTICA EXEMPLARIA inspicerent; Qui cum anno vertente rediten, & renunciarent, nihil tale ullibi repertum. Conclusum est, ut communi consensu Concilii Pontifici rescriberetur, Episcopum Rom. Diœcesi & finibibus suis debere esse contentum. Graves etiam additæ literis querelæ de *faustino* legato, quod immodestè se erga Synodum gesserit. Decreto subscripsere 230. Episcopi.

ſcopi, quos inter etiam *Auguſtinus*. Quanta quæſo hæc fuit fallacia SEDIS Rom. etiam in SPIRITUALIBUS.

Quæres, quis ergo erit Judex inter Imperatorem & Pontificem; Reſpondeo, quia duplicibus armis Pontifex pugnat; Spiritualibus ſcilicet, & Temporalibus, Ideoque quoad Spiritualia Rem cenſemus eſſe devoluendam ad Concilium Generale. Hæc enim praxis fuit Eccleſiæ Chriſtianæ à prima ejus Nativitate.

Conſilium ergò Generale, quod non tantum juxta Deciſionem legitimam Conſtantienſis & Baſileenſis Synodi SUPRA PAPAM JURE DIVINO eſt, juxta illud DIC ECCLESIÆ, judicare debet; an EPISCOPUS ROMANUS legitimè utâtur CLAVE LIGANTE: contra IMPERATOREM, benè factorem, ac defenſorem Eccleſiæ: An BONA TEMPORALIA ſeu JURA PROVINCIARUM ET REGNORUM pertineat ad ARMA SPIRITUALIA? An Chriſtus ullibi POTESTATEM talem EPISCOPO Romano dederit, ut inſciis Epiſcopis aliis omnibus, Cæſarem non ob Crimen mortale, nec ob hæreſin, ſed ob PROPRIUM PONTIFICIS INTERESSE, atque ob diſtinctionem inter DOMINIUM DIRECTUM & UTILE ſeu INDIRECTUM, poſſit ab Eccleſia ſeparare, SACRAMENTA denegare, habere pro PUBLICANO, ac qui vitandus ſit. Hoc, inquam, definire, ad CONCILIUM GENERALE pertinet, ubi non exiſtimo quod *Germania* ſit futura timidior, quam *Gallia*, maximè his Temporibus, ubi conſtans eſt aſſertio, quod nullus Regum Galicorum poſſit *excommunicari* à Roma: Quod ea ſit Libertas Eccleſiæ Gallicanæ, Sanè ingens eſſet Germaniæ à Cæſarum Auguſta Corona ſplendenti Ignominia, ſi inferior in his partibus eſſet, quam Gallia: Sed de CONCILII in ſequentibus plura. Superaddimus denique JUDICIUM ſubactum, candidum & apertum nobiliſſimi ſcriptoris *Guicciardini*, quem ſupra quoque laudavimus.

JUDICIUM

Sincerum ac verum

FRANCISCI GUICCIARDINI,

Nobil. Florentini

De Pontificum crescente ambitione, libidine Imperandi, ac Modis acquirendi.

Mala Fide Curia Romana expunctum ex lib. 4. Fol. 156.

Pontifices, inquit, à primis Imperatoribus per multa annorum curricula vexati, post Constantini ad Christum conversionem, ac eo terrore liberari, rebus sacris tantum operam dantes, in reliquis Imperatorum auctoritati fere subjecti, sub eorum umbra quieverunt. In hoc humili statu diutissime post vitam egerunt, ab Imperatorum commercio, propter magnam in Italia Longobardorum potentiam sejuncti. Post autem Franciæ regum beneficio opibus & potentia aucti, cum Imperatoribus conjunctissimi stetere, ab illorum auctoritate, dum
NB. imperatoria majestas in Caroli Magni posteris mansit, alacri animo pendentes, quod quidem fiebat, tum propter beneficia vicissim data & accepta, tum etiam ob Imperatorum potentiam: quæ ubi post cœpit inclinare, & quasi flaccescere, illorum amicitia prorsus rejecta, ita se gerere cœperunt, quasi Pontificiæ dignitatis esset leges potius Imperatoribus dare, quam accipere. Cumque à veteri illo, quo subjecti Imperatoribus, statu penitus abhorrerent, veritique ne ille Romæ atque alibi antiqua Imperii jura recuperare, ut quidam illorum aut potentia majore, aut animo erectiore efficere conabantur, tentarant, armata vi
NB. sese Imperatorum potentiæ, ab illis tyrannis qui se Principes appellabant, & ab illis urbibus, quæ sese in libertatem vindicaverant, nec amplius imperii auctoritatem agnoscebant, adjuti, opponebant. Hinc factum est, ut Pontifices sibi indies plura majoraque arrogantes terroremque armorum cœlestium in res terrenas caducas vertentes, JUS sibi atque auctoritatem in Imperatores, quasi Christi in terris vices gerentes, assumpserunt; affirmantes ad se multis in rebus regnorum atque imperiorum procura-

procurationem pertinere. Qua persuasione freti, Imperatoribus interdum imperii dignitatem abrogabant, Septemviros Augustales, ut alios in eorum locum surrogarent, incitabant. Vicissim quoque Imperatores aut ipsi creabant novos Pontifices, aut ut crearentur, procurabant. NB.
Ex his controversiis, atque etiam quod Pontifices per annos septuaginta Avenione sedem habuissent, nec non ex illo Ecclesiæ dissidio, quod in Italia Pontifice Romam revertente, est exortum, cum Ecclesiæ status admodum concussus ac debilitatus esset, factum est, ut in oppidis Ecclesiæ subjectis, præcipuè vero in ea Italiæ parte, quæ olim Gallia rogata dicta est, plures in eis cives potentia cæteris superiores, in sua quisque patria TYRANNIDEM occuparent: quos Pontifices aut persequebantur, aut, si ad eos opprimendos impares essent, quasi Ecclesiæ beneficio regnare jubebant, aut aliis in eos *excitatis*, regnandi JUS attribuebant. In hunc igitur modum Galliæ togatæ oppida, proprios dominos ac plerosque quasi Ecclesiæ vicarios habere cœperunt. Eodem modo *Ferraria* Actio Atestino à Pontifice gubernanda tradita eidem est, post beneficii nomine attributa, ex quo deinde ea familia illustrioribus honorum titulis est exornata. NB.
Sic Bononia ab Joanne Vicecomite Mediolanensium Archiepiscopo occupata, eidem pari jure concessa fuit. Iisdem quoque de causis in multis Piceni oppidis, divi Petri patrimonio, & Umbria, quæ nunc Ducatus appellatur, plures Reguli, pars invito, pars ad consentiendum adacto Pontifice, sunt exorti: nec Longobardia in imperii præsertim oppidis, ab hujusmodi mutationibus immunis fuit: sic ut qui in Flaminia atque aliis Pontificiis locis dominabantur, à Pontificum obedientia deficientes, ad Imperatorum auctoritatem confugerent: & vicissim qui Mediolanum, Mantuam, & alia imperii oppida tenebant, à Pontificibus regnandi jus obtinerent. Roma vero quanquam nomen Ecclesiæ temporibus illis præ se ferret, magistratibus NB.
tamen regebatur propriis & suis: & quamvis initio cum Avenione in Italiam postliminio revertissent, tanquam domini agnoscerentur, paulo tamen post Romani creato Magistratu, quod Banderensium appellabant, in veterem contumaciam recidere: unde cum Pontificum auctoritas apud eos esset perexigua, & ipsi aliò translata sede, Romam reliquere, donec Romani ad paupertatem redacti, atque in magnam propter ejus absentiam confusionem delapsi, cum annus millesimus quadrin-

gentesimus appropinquaret: in quo anno si Pontifex in urbe esset, sperabant ingentem fore propter annum secularem, quem Jubileum vocant, mortalium concursum, precibus quam demississimis Bonifacium Pontificem orarunt, Romam rediret: id si faceret, Banderensium magistratum abrogaturos, seque ei obsequentes in omnibus futuros. His conditionibus in urbem reversus, dum Romani illius anni QUESTUM, unum attendunt, Pontifex occupato omni urbis imperio, Angelicam arcem communivit eique præsidium imposuit: cujus successores ad Eugenium usque etsi non paucis difficultatibus conflictati, nihilominus dominatu post plene stabilito insecuti Pontifices, citra ullam controversiam, Romæ sunt PRO SUA LIBIDINE dominati.

His igitur fundamentis & modis ad terrenam potentiam elati, ac sensim animarum salutis, divinorumque præceptorum obliti, atque ad mundana imperia omni cogitatione conversi, nec divina auctoritate alio, NB. quam quasi telo & instrumento rerum fragilium abutentes, principes potius gentium quam rerum sacratum Pontifices videri cœperunt. Horum curæ & negotia, non jam vitæ sanctimonia, non religionis incrementa, non erga Deum & homines charitas, sed exercitus, sed bella in Christianos, cogitatione & manibus sanguine respersis sacra tractantes: NB. sed pecuniæ immensa cupido, novæ leges, novæ artes, novæ insidiæ ad pecuniam undique cogendam. In hunc finem audacissime arma cœlestia vibrare: profanarum sacrarumque rerum nundinationem impudentissimè exercere: hinc opes in immensum adauctæ, ac in totam ipsorum aulam effusæ: ex quibus fastus, luxus, mores turpissimi, libidines, voluptatesque nefandæ: nulla de successoribus cura, nulla maNB. jestatis perpetuæ pontificatus sollicitudo: sed horum loco cupido anxia & pestifera, filios, nepotes, item alios sibi conjunctos & necessarios non modo ad opes immoderatas, verumetiam ad regna & imperia evehendi: non jam honores & emolumenta in merentes & bonos conferendo, sed plerunque AUCTIONANDO, aut in homines ambitione, avaritia, & pudendis voluptatibus perditos effundendo. His moribus effectum est, ut excussa penitus ex animis hominum illa vetere erga Pontifices reverentia: tamen ex parte eorum auctoritas religionis, qua niNB. hil in terris ad homines vel impellendos, vel retinendos potentius invenitur; nomine & majestate, facultate qua pollent, Principibus,

atque

atque iis qui apud illos maxime possunt, sacris beneficiis & honoribus conferendis, gratificandi adjuta sustentetur. Qui cum sciant magna se in admiratione mortalium esse: & qui adversus eos arma sumunt, eos gravis infamiæ notam, & sæpenumero aliorum Principum odia subire: ac quomodocunque res cadat, perexiguum emolumentum ad eos, à quibus oppugnantur, redundare: & victores ex suo arbitrio victoria usuros: victos, quibus velint conditionibus pacem habituros: ad hæc suos propi-guos ex privata conditione ad principatus attollendi cupidine inflammati, jam per multos annos bellorum auctores, novorumque incendiorum faces in Italia extiterunt, Sed ut ad id, à quo justissimus publici damni dolor me longius acriusque, quam leges historiæ forsitan permittant abduxit, revertamur. Æmiliæ Flamin. &c. Hæc *Guicciardinus*: Quæ utinam attenderet *Christianismus*. Quam FELIX foret.

NB, NB,

CAPUT IV.

De Concilio Generali,

Quod Causæ graviores Rempublicam Ecclesiasticam concernentes in illo tractari debeant.

SUMMA.

1. *Ostenditur* Excommunicationem *Sacratissimi Imperii Capitis, à solo Episcopo Lateranensi, qualis Pontifex Rom. tractari non debere*
2. *Concilium esse supra Papam variis argumentis & Testimoniis Authenticis probatur:*
3. *Imperatoris Romani esse, tale Concilium convocare solidè ostenditur.*
4. *Statuitur, quod in Imperio Romano Archi-Episcopus Moguntinus sit Pontifex summus.*
5. *Quod Germania non minus in Libertatem vindicanda sit quam Gallia.*

DIximus in Antecedentibus, quod Lis inter Imperatorem Rom. & Pontificum, à Pontifice decidi tanquam JUDICE IN PROPRIA CAUSA, & qui sæpissimè

mè Christianissimum in suis Judiciis decepit, non possit: Addidimus, quia Pontifex utatur *Spiritualibus Armis*, hoc est CLAVE LIGANTE per EXCOMMUNICATIONEM Cæsaris, ideoque Rem ab ECCLESIA ipsa, hoc est à CONCILIO GENERALI definiri debere; non quod putemus Causas TEMPORALES & disceptationes de FINIBUS IMPERII ad Ecclesiam spectare, sed tantum ut inquiratur; An PONTIFICI ROMANO Jus competat, UTENDI pro ARBITRIO CLAVE LIGANTE contra summum Ecclesiæ BENEFACTOREM & DEFENSOREM, cujus Augusti majores immensa beneficia & divitias in Ecclesiam contulere. Non ergò ad Concilium Generale JOSEPHUM nostrum Sacratissimum, tanquam ad TRIBUNAL quoddam vocamus, sed Episcopum Lateranensem; talem enim se profitetur Clemens XI. citari suademus.

Rationes nostræ sunt: Primò, quia juxta infallibilem priscæ & sanctioris Antiquitatis atque Ecclesiæ sententiam CONCILIUM est supra Papam, cum illud ipsum sit REPRÆSENTANS ECCLESIAM contra quam *portæ inf rorum non prævalebunt*, Judicet ergo illud, an id conveniat Episcopo Romano, causas tractare *Temporales* per remedia *Spiritualia*? Item an ipsi liceat Principale Ecclesiæ membrum hoc est Cæsarem Augustum ex Ecclesia per EXCOMMUNICATIONEM ejicere, Sacramentis privare, atque è Regno Cœlorum excludere.

Antecedens, sive CONCILIUM esse SUPRA PAPAM, constat primò ex ipsa confessione Pontificum Romanorum: nam *Innocentius* III. quanquam alias satis ambitiosus, in libr. 3, Epist. 104, ad Philippum Augustum, qui divortium inter se & reginam fieri postulabat, ita scribit: Si SUPER HOC ABSQUE GENERALI DELIBERATIONE CONCILII determinare aliquid tentaremus, præter DIVINAM OFFENSAM & MUNDANAM INFAMIAM, quam ex eo possemus incurrere,

FOR-

Forsan Ordinis & Officii Nostri Periculum immineret, cum contra permissam veritatis sententiam, quod DEUS conjungit, homo non separet, nostra non possit autoritas dispensare.

In his verbis tria confitetur ille Pontifex, primo se Potestatem habere Concilio minorem; se non immunem esse à periculo errandi; contra Concilio tribuit Infallibilitatem. Tertiò confitetur se non habere JUS rumpendi societatem conjugalem seu matrimonium, inter Philippum & Reginam: cum illud resideat penes Concilium Generale tanquam repræsentativum Ecclesiæ.

Cum ergò longè adhuc majus sit separare Animam Imperatoris à Sponso suo Christo per Excommunicationem; Egò JUS tale nullo modo pertinet ad Clementem XI. Causa enim tam ardua & quæ ad Totam Ecclesiam pertinet, ab unico ejus membro, tractari nec potest nec debet.

Martinus v. non *Verbis* tantum, sed Opere ipso ostendit, se Constantiensi Concilio subjectum esse; Nam obsequium præstitit Concilio, in cap. *frequens* statuenti, ut post quinquennium Universalis Synodus Papiæ quæ Urbs est in Statu *Mediolanensi* celebraretur.

Quin etiam in ipsa Sessione 44. paruit; cum in antecessum Papiæ Concilium indixit, his verbis.

Martinus Episcopus Servus servorum DEI, ad futuram rei memoriam. Cupientes ac volentes Decreto Concilii Generalis Constantiensis *satisfacere, inter alia disponenti ut* Concilia Generalia *celebrentur in loco, quem consentiente & approbante concilio designaverit. &c.*

Satisfacit ergò Martinus v. Concilio Constantiensi, quod statuerat, Concilium Esse Supra Papam.

Eandem doctrinam de *superioritate* Concilii supra Papam tradidit Pius II. nondum Papa, & adhuc *Æneas Sylvius,*

 qui

qui pariter *Concilio Constantiensi* interfuit : Quam tamen sententiam verissimam, factus postmodum Pontifex cum summo scandalo retractavit. Facto ipso ostendens, quod Roma AMBITIONE HÆREDITARIA laboret. Verba in Retractione ita sonant. *Tuebamur* inquit, ANTIQUAM SENTENTIAM, sed ille, *Julianus* scilicet, NOVAM. Extollebamus GENERALIS CONCILII AUTHORITATEM, ut Æneas Sylvius. Ille Julianus Apostolicæ sedis potestatem magnopere commendabat. Fatetur ergo Pontifex Pius II. quod ea sententia, quæ Concilium supra Papam ponit, sit ANTIQUA, altera verò quæ Rom. Pontificem supra Concilium locat, sit NOVA. Quis verò est tam demens, ut non mallet in *rebus Religionis* antiquis PRINCIPIIS insistere, quam NOVIS. Omnis NOVITAS, maximè quæ *humilitatem* non sapit *Apostolicam*, sed fastum spirat Carnalem merito pro suspectissima habetur.

Sed audiamus jam Theologos in Ecclesia Romana; sanè non est exiguus eorum numeros, sed magnus, qui pro Concilio contra Papam militant.

Primum Testimonium esto Dionysii Carthusiani in libr. 1. de auctoritate Papæ & Generalis concilii articulo X. *Porro*, ait, *quod generale Concilium sit supra Papam, & amplioris potestatis, seu auctoritatis quàm ille, hinc apparet necessariò concludendum; quoniam in generali Concilio Constantiensi hoc apertissimè determinatum est. Sed & Universitates seu Studia quædam privilegiata in suis scriptis hoc videntur* CONCORDITER AFFIRMARE, *quibus contradicere videtur penitus insecurum. Unde venerandi Sacræ Theologiæ Professores in difficultatibus scripturarum, & quæstionibus statum Ecclesiæ atque salutem concernentibus animarum exercitati, fundamentalitérque edocti videntur de hac materia certiùs judicare.* Privilegiata vocat Studia, quæ tunc constanti formâ, & sermone omnium celebrabantur. Inter ea Parisiense primas tenebat. Hic auctor floruit ad annum MCCCCL.

II. Joan-

II. Joannis Majoris Parisiensis Theologi in caput XVI. Matthæi, ait, *An Pontifex sit super totam Ecclesiam vel universale Concilium Ecclesiam repræsentans, partitus est modus loquendi: Unus quem Canonistæ auctoritatibus Pontificis Maximi stipati tenent cum Italia, quod Pontifex est super Concilium ritè congregatum, quod repræsentat universalem Ecclesiam. Alius est modus, qui Constantia conclusus est omnino illi oppositus. Unde nostra Universitas & Gallia tota insequitur oppositum.* Deinde in cap. XVIII. *De Theologis multo plures tenuerunt oppositum:* (Concilium esse supra Papam) *superiùs ostensum est, quod Augustinus & alii Doctores tenent partem, quam insequimur. Hoc tenuerunt varii Cardinales, Joannes Patriarcha Antiochenus, Petrus de Alliaco Cardinalis Cameracensis, Nicolaus de Cusa Cardinalis, Doctor vocatus Christianissimus, Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis profectò nunquam satis laudatus, & nostra Facultas à diebus Constantiensis Concilii in qua plures exercitatos Theologos habebis, quàm in duobus vel in tribus regnis, quæ sic hanc partem fovet, quòd nulli hoc licuerit asserere oppositum probabile.* In prioribus Commentariis habetur: *Alium modum semper Universitas Parisiana nostra à diebus Concilii Constantiensis imitata est, sic, quòd in ea, qui prædictam sententiam* (Papam esse supra Concilium) *tenuerit, in campo cogitur eam revocare.* Porro autem epocha illa, quam Major in diebus Constantiensis Concilii statuit, præcedens tempus non excludit; sed per eam auctor docere voluit, Parisiensem Academiam post Concilii hujus definitionem tenuisse sententiam, qua de agitur, frequentiùs quàm antea, fortiùs, & religiosiùs contra eos, qui nefaria quadam assentatione antiquam Ecclesiæ & Sedis Apostolicæ traditionem pervertere & in Theologiæ Scholas doctrinam novam inducere conabantur. Quò forte Major spectat cùm paullò post subjicit: *Non est bene actum, quod plures Pontificem extollant, quàm Concilium. Non mirabere. Concilium rarò congregatur, nec dat dignitates Ecclesiasticas, Papa dat eas.* Hinc ASSENTATIO.

III. Francisci Victoriæ Hispani ex Ordine Prædicatorum Parisiensis Theologi, in libro de potestate Concilii & Papæ: *Concilium esse supra Papam est communis sententia Parisiensium & multorum Doctorum.*

IV. Joannis Celaiæ Hispani Parisiensis Theologi in quartum Sententiarum dist. XVII. quæst. IV. *Dubitabis circa hanc quæstionem, an Papa obligetur virtute illius cap. allegati, scilicet Omnis utriusque sexus, confiteri*

confiteri semel in anno: Ad hanc difficultatem respondetur ab Universitate Parisiensi affirmativè. Nam tenet, quod Concilium est supra Papam, & illud caput editum est in Concilio generali celebrato per Innocentium III.

V. Thomæ Campegii Bononiensis, Feltrensis Episcopi, in libro de potestate Papæ capite XXIV. ubi quæ Concilia duo, Constantiense & Basileense, statuerunt circa Pontificis abdicationem, examinans; de Parisiensium sententia sic loquitur: *Quapropter iterum clara voce denunciamus, opus fore declaratione, quam honestiorem existimamus revocatione: Quandoquidem Parisiensis Schola & alii plures non obstante Concilii Florentini decreto mordicus retineant decretum illud Constantiense & Basileense.*

VI. Martini Navarri de Pœnitent. dist. V. *Ex hac conclusione primò infertur, Pontificem ad confitendum sua peccata teneri, quia divina lege obligatur. Quamvis verum sit, non ligari per caput illud, Omnis, & ita non teneri absolutè ad confitendum semel in anno. Quod etiam sentit Joannes Andreas & Felinus: Quod procedit tenendo illam quam plerosque omnes Italos audio tenere opinionem, quamque magnis viribus probare ac tutari conatur Thomas à Vio, scilicet Papam esse supra Concilium. Nam si teneremus alteram sententiam, quam Schola Parisiensis cum tota ferè Gallia sequitur, Concilium Universale supra Papam esse, id adeò sequitur, ut Jacobus Almainus scribens in hoc ipso articulo dixerit, eum, qui contrarium assereret, hæreticum judicatum iri, diceremus, ut ait ille, Romanum Pontificem statuto Conciliorum ligari, ac proindè ad illud caput,* Omnis, *servandum teneri.*

VII. Caroli Cardinalis Lotharingii in Commonitorio, quod ad Joannem Britonem Secretarium Romæ degentem misit año M.D.LXIII. XIX. Calend. Februarias. Gallica illius verba possemus producere, sed hîc brevitatis gratiâ Latinam duntaxat interpretationem referemus: *Nunc superest titulorum ultimus è Florentina Synodo depromptus, quem beatissimo Patri nostro tribuere volunt: Ego verò negare non possum, quin Gallus sim, & Parisiensis Academiæ alumnus; In qua Romanum Pontificem subesse Concilio tenetur, & qui docent ibi contrarium, illi tanquam hæretici notantur. Apud Gallos Constantiense Concilium in omnibus partibus suis Generale habetur: Basileense in auctoritatem admittitur, Florentinum perindè ac nec legitimum nec generale repudia-*

repudiatur. Atque idcirco Galli de vita potiùs, quàm de sententia decederent. Hæc autem omnia cùm ita sint, me ad sanctitatis suæ pedes projicio, & eiper viscera misericordiæ Dei nostri supplico, ut in præsentiarum verba hujusmodi mittantur. Afflicto regno non est danda afflictio. Hæretici jam satis offensi sunt. Catholici reguntur ac ducuntur omnes à Theologis, qui clamores usque in cælum tollent. Privilegia & libertates regni in hac veritate posita sunt universa. Et eam ob causam disputatio hujusmodi si fiat, tota ad subversionem audientium convertetur. Regnum separabitur ac distrahetur, quod erit commune ac summum illius exitium. Nam credere futurum esse vel unum antistitem, qui his consentiat, insanum esset. Hæc sincerè Card. Lotharingus.

Imò quod Concilium in fide & moribus deficientem Papam possit deponere; res pariter est extra Controversiã apud saniores Catholicos Rom. de quo puncto plura alibi.

Ex hoc quæstio porro surgit, cuinam competat Authoritas convocandi Conciliũ: Hic quidem Doctores Romani, inprimis Itali, Papæ hoc JUS adscribunt; at contrà praxin primitivæ Ecclesiæ, imò etiam contra Jura divina; ut etiam hic valeat, quod Pius II. Pontifex ad Carolum VII. Regem Galliæ scripsit in Epist. 374. *Unum à* Te *petimus, Charissime Fili Doctoribus sedis Apostolicæ non semper credas; multa ipsorum* Passionibus tribuas.

Et quidem primum Generale Concilium, quod in urbe Nicæa circa Annum 325. adversus Arrium Ecclesiæ Alexandrinæ Presbyterum fuit celebratum à Constantino M. fuisse convocatum, dubio omni, si extra passiones antiqua Historia legatur, caret. Sic enim Eusebius libr. 1. vitæ Constantini cap. 32. *Constantinus M.* Velut Communis Episcopus, ut pacem Ecclesiis redderet, ac disciplinam Ecclesiasticam sanciret, Concilium in Urbe Nicea convocavit.

Secundum fuit Constantinopolitanum I. a. C. 383. quod à Theodosio convocatum docet Sozome. lib. 7. cap. 7. & Socra. lib. 5. cap. 8. & ipsi Episcopi scribunt ad Imperatorem, se juxta rescriptum illius con-

 vocatos

vocatos esse. Tertium Ephesinum a. C. 434. quod quoties in Actis se congregatum dicit, toties Imperatoris autoritatem agnoscit, nusquam verò Episcopi Romani. Vide Evagri. lib. 1. cap. 3. Quartum Chalcedonense a. 454. per Valentinianum & Marcianum Imperatores, ut evincit dies ipse ac locus dictus ab Imperatore, etsi deprecaretur Leo Papa Ep. 43. ad Marcianum, & Acta quæ docent Sydodum factam ex decreto Piissimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani. Quintum est Constantinopolitanum II. an. 532. indictum à Justiniano, ut testatur Evagrius lib. 4. cap. 37. *Justinianus quintum Concilium convocavit*, Niceph. lib. 17. cap. 37. Idem confirmat Synodus in libello ad Imperatorem, & literæ ipsæ Justiniani positæ initio Synodi, in quibus non tantùm decernitur convocatio, sed etiam jus suum Imperator fulcit exemplis præcedentibus, ut nossent omnes nihil à se usurpatum. Sextum est Trullanum, quod Acti. 1. dicitur *congregatum secundùm Imperialem sanctionem*. Idem de Nicæno II. an. 781 à Constantino & Irene. Imperatoribus congregato legitur, & de Constantinopolitano IV. quod Octavum est œcumenicum, quod à Basilio Imperat. dicitur coactum in procœmio. Ex quibus liquidò patet Jus Convocationis Conciliorum non ad Pontifices Romanos, sed ad Imperatores pertinuisse. Unde meritò Socrates in procœm. lib. 5. hist. Eccles. se Imperatorum propterea mentionem fecisse dicit, *quòd ex illa tempore, quò Christiani esse cœperunt, Ecclesiæ negotia ex illorum nutu pendere visa sunt, atque adeò maxima Concilia de eorum sententia & convocata sint & adhuc convocentur.* Et Card. Cusa. l. 2. de Conc. Cathol. c. 25. Fatetur *omnia octo Concilia universalia convocata esse per Imperatores, & Ro. Pontificem instar aliorum Patriarcharum sacras jussiones de veniendo aut mittendo ad Concilium recepisse.* Unde colligitur quàm vanum sit effugium Bellarmini, *posse hic opponi consuetudinem consuetudini, si quatuor aut quinque Concilia Imperatores indixerint, plura quàm duodecim Romanos indixisse.* Quia consuetudo antiquissima, qualem obtendimus, usque ad octavum & ulterius seculum, longè præferenda est, consuetudini novissimorum seculorum, in quibus omnia in pejus ruere cœperunt ambitione Roman. Episcoporum. Adde quòd quæ Concilia à Pontificibus dicuntur convocata, non tam fuerunt Oecumenica, quam Nationalia ex Latinis tantùm composita, excepto Florentino, cui pauci Græci interfuerunt.

Hoc

Hoc igitur pariter stabilito, quod Jus convocandi Concilium penes *Imperatorem* sit; quis erit tam ingratus erga Augustum nostrum Josephum subditus, aut quis ex Germanico sanguine oriundus, non suaderet, ut Imperator noster, tantis injuriis ab *Albano* Episcopo Lateranensi lacessitus Concilium aliquod si non ex tota Europa, tamen ex Germania, Bohemia, Hungaria, quin & Hispania, Catalonia &c. convocaret, ut in vitam, acta & mores Clementis inquiratur; An licitum ipsi sit, sine ullo Ecclesiæ Christianæ consensu & tantum ex MOTIVO proprii INTERESSE, IMPERATOREM Optimum Anathemate ferire, atque EXCOMMUNICARE: Annon peccaverit contra JUS DIVINUM, & præceptum Christi dicentis, Matth. 18. *si peccaverit frater tuus, vade & corripe ipsum ipsum inter* TE *& ipsum* SOLUM: *Si te audierit, lucratus es* FRATREM *tuum; Si autem* TE *non audierit, adhibe unum vel duos, ut in ore duorum vel trium* constet omne verum. *Quod si non audierit eos,* DIC ECCLESIÆ: *Si autem Ecclesiam non audiverit, sit Tibi, velut Ethnicus vel publicanus.* Hic sanè REGULA præscribitur exactissima, quomodo procedendum sit, antequam deveniatur ad DECRETORIAM BANNI sententiam; Dignissimum profectò punctum est pro DECISIONE in CONCILIO, annon fœdè hanc REGULAM DIVINAM Clemens XI. in sacratissima persona Imperatoris violaverit: An enim ille aliquid de summi momenti negotio, unde facilè totum Imperium in ultimam CONFUSIONEM & perniciem venire posset, an inquam Episcopus Romanus, Germaniæ Episcopis aliquid dixit, an suffragia eorum vel consensum expetiit. Nihil minus.

Sic & illud Punctum meretur in CONCILIO Ecclesiæ Generali discussionem, an liceat Pontifici Romano arma sanguino lenta contra Imperatorem ferre atque proximam occasionem ad incendia urbium, pagorum, ad ruinam pulcherrima

cherrimarum ditionum dare; & quomodo tanquam *Clericus* excusare queat Millenas cædes & profusionem sanguinis Christiani, quam ille imperat. De quo in Cap. seq.

Gallia hoc sibi inter LIBERTATES suas ECCLESIASTICOS vindicat quod nulla BULLA ibi recipiatur, nisi prius à *Parlamento* examinata, an nihil habeat contra PERSONAM REGIS, vel LEGES REGNI; adeò ut nuper cum in causa *Archi-Episcopi Fenelonis* à Pontifice Romano BULLA prodiret, in qua Doctrina ejus condemnata, non antea illa publicata fuit, quam EXAMEN subiret, non obstante quod ipse Rex Ludovicus XIV. damnationem ejus Romæ urgeret, sic, ut cum juxta stylum Curiæ Romanæ hæc verba prædictæ BULLÆ inserta essent, EX CERTA SCIENTIA, reclamavit Gallia, prætendens, quod Pontifex Rom. CERTITUDINEM non habeat in DEFINIENDO INFALLIBILEM; sed quod hæc PRÆEMINENTIA sit CONCILII GENERALIS.

Cur ergò non eandem, imò majorem habeat Germania LIBERTATEM quæ pro CAPITE suo Romanorum agnoscit Imperatorem, aut quis INVICTÆ semper GERMANIÆ pudenda hæc VINCULA injecit, ut sub ABSOLUTA Curiæ Romanæ SERVITUTE debeat vivere. Respublica Veneta, quæ tam AUGUSTUM AXIOMA longè non habet, quam IMPERIUM Romano Germanicum, tamen Galliam in hoc feliciter imitatur, quod nullam à Pontifice Rom. accipiat BULLAM, nisi prius accuratè examinata & approbata quoq; à SENATU Veneto fuerit, qui juxta Leges ejus Reipublicæ ex prima ejus NOBILITATE consistit.

Cur idem non faceret Germania in præsenti maximè gotio: Ubi censeo, Archi-Episcopum nostrum Moguntinum, qui jam ab Ottonis I. Imperatoris illius laudatissimi tempore, habuit cum Romano Episcopo TITULUM

Ponti-

PONTIFICIS MAXIMI, & qui hactenus in Celsissimo munere suo Ecclesiastico & Politico, longè majorem FIDEM, PRUDENTIAM, SINCERITATEM, atque ZELUM pro COMMUNI EUROPÆ CAUSA ostendit, quam versipelle illud & ambitiosum Ingenium Italicum Clemens XI. Hunc ego censeo, Archi-Episcopum & Imperii Cancellarium optimè & sanctissimè facturum, si cum consensu Imperatoris convocet Episcopos, LICENTIAM & ABUSUM Albani castiget ac refrœnet, & Germaniam à fœda SERVITUTE in LIBERTATEM vindicet: Fratres in primitiva & puriore Ecclesia fuere Episcopi, cum Episcopo Romano. Neque alia hujus prærogativa, est quam ad summum *primatus* ORDINIS, non JURISDICTIONIS, prout ex Historia indubitatis ac invictis argumentis constat: de quo tamen hoc loco dicere nimis prolixum foret.

Atque UTINAM ad ista prima REIPUBL. CHRISTIANÆ PRINCIPIA res resolveretur. Utinam Christianismus hodiernus, ac maximè Germania animum reassumeret, atque in Papatam inquireret, quibus artibus ad istam potentiam pervenerit, & quam iniqua sit SERVITUS qua ab aliquibus jam seculis premitur. Nihil aliâs dulcius est quam LIBERTAS: & nihil est turpius, quam ceu servile ambitionis alienæ vivere MANCIPIUM. Cogitet Clemens, quam funestum exitum habuerit impii illi Majestatum contemtores Gregorius VII. & Bonifacius VIII. adeoque ipse ante oculos habeat Tremendum DEI Tribunal, quod Imperatori nostro objicit, & terrorem in cutere vult.

Audiat Germania Hadrianum VI. Pontificum Romanum, ex Germano sanguine oriundum, quam ingenuè ille vitia Sedis Romanæ, vel potius Pontificum Rom. describat: quam sincere ille fateatur, quod REFORMATIONE indigeat Curia Romana in CAPITE ac *membris*. Nullus à

 multis

multis retro seculis tam candidè vitia Romana detexit; sed nullus etiam ab Italis pejus fuit habitus, quam ille Pontifex, sic, ut non pauci Historici tradant, ipsum per Cardinales Italos veneno fuisse interfectum. Aperiat ergò oculos Germania: sumat sibi Archi-Episcopum ex Fratribus; atque ad modum primitivæ Ecclesiæ jubeat Episcopum Rom. sua diœcesi & FINIBUS esse contentum: Ita enim censeo quod primus LAPIS ad CONCORDIAM in Religione esset positus. Avaritia, superbia, in fide dominatio, Tyrannis aliaque vitia Romæ grassantia, nimis magnum dant scandalum, quam ut credi possit, ibi vel VICARIUM Christi, vel *Petri* successorem vivere & vestigia eorum premere.

At profectò cogitanti mihi sæpè, qua tandem ratione FATALE illud Christianismi VULNUS ac SCHISMA tolli possit, nullum melius, ac Divinius REMEDIUM applicari posse, deprehendi; quam si REGIMEN Ecclesiæ ad Apostolorum & PRIMÆVÆ ECCLESIÆ SIMPICITATEM ac CANDOREM, & in CANDORE HUMILITATEM redigeretur: Quid enim *sanctius* quam illa candida *Humilitas* in Christo & Apostolis.

Secundo, ut nulla nova DOGMATA, nec CEREMONIÆ in sacris admitterentur, quam quæ à Christo instituta, Apostolis commendata, & per tempora TRIUM PRIORUM SECULORUM continuata fuere: Novitas omnis in FIDE, etiamsi tantum CIRCA CEREMONIAS versetur, inventum est Humanum, quo temere *ligantur* Conscientiæ.

Tertiò, existimo, quod excepto articulo de Pontificis Romani Regimine Oecumenico, reliqui omnes, quos Protestantes pro FUNDAMENTALIBUS habent, apud Catholicos Rom. deprehendantur, quanquam sparsim. Exempli gratia Articulus summus de JUSTIFICATIONE hominis pœnitentis & credentis, per JUSTITIAM Christi imputatam defensus fuit summis viribus in Concilio Tridentino

à Do-

à Doctissimo *Seripando* Carmelitarum Generali, postmodum Ecclesiæ Romanæ Cardinali, cui nonnulli alii Episcopi accesserunt. Ut non dicam, quod *Caspar Contarenus* itidem Cardinalis eandem doctrinam publicè defenderit.

Nemo ex his fuit EXCOMMUNICATUS, sed permansere in Gremio Ecclesiæ Rom. cur ergò hæc salutaris doctrina in *Protestantibus* damnatur. Unde si ille respectus Personarum tolleretur; & porro si liceret priscæ Ecclesiæ principia recipere; si denique concederetur, ut ex authoribus, ut sic dicam Classicis, Catholicæ Ecclesiæ systema Credendorum formaretur, profectò mihi, salvo aliorum Judicio persuasissimum est, quod benedicente SPIRITU PACIS, CONCORDIA salutaris iniri, aut ad minimum CRUDA illa ODIA, quæ Christianismum hactenus vastarunt, tolli vel ad mitigari possent. Verum nimis AMBITIOSA seu PRÆSUMSUMPTUOSA DE SE est ROMA, quam ut aliorum Consilia audiat; & nimis blandiens est FASTUS ille, ac DIVITIÆ Papales, quam ut ad primam HUMILITATEM Christi, vel *Petri*, vel *Pauli* reflectat: *Vicariatus* & *Successio* jactatur. At non succedit, nec etiam VICES agit, qui recedit, & totis castris ab Antecessor abit; Et quomodo VICES aget, DOCTORIS HUMILITATIS, qui ultra & contra omnem POTENTIAM ac Majestatem se extollit.

H 2 QUÆ

CAPUT V.

De Banno.

An Bannus Papalis quem Imperatori Augustissimo per Bullam minatur in foro Poli & soli vim aliquam habeat, atque An invictissimus noster Josephus causam habeat eam metuendi.

SUMMA.

1. *Ostenditur, quid sit* EXCOMMUNICATIO.
2. *Demonstratur, quam iniquè Clemens XI.* EXCOMMUNICATIONEM *sacratissimo Imperii* CAPITI *minetur.*
3. *Probatur. quod impius sit* ABUSUS CLAVIS LIGANTIS, *& quod* JUS *Pontifici non competat, ligare animas ob res Temporales, quas sibi Pontifex mala fide vindicat.*
4. *Becani Sententia producitur, statuentis quod Pontifex R. possit Cæsares, & Reges excommunicare, deponere. &c.*
5. *Docetur, quod ipse Paulus v. Pontifex hanc sententiam tanquam* SCANDOLOSAM *damnaverit.*
6. *Producitur Galliæ judicium de sententia Jesuitæ Becani.*
7. *Reprehenditur Pontifex R. quod peccata summè mortalia, homicidia, rapinas, sacrilegia vastationes regnorum relinquat intacta, nec* CLAVE *utatur* LIGANTE; *& quod contra pro* BONIS TEMPORALIBUS, *& in* SUA, *licet iniqua*, CAUSA *eam contra Cæsarem usurpet.*

HOc principale est punctum, quod ut cum fundamento tractetur, opus est, ut ante omnia in Originem Banni seu Excommunicationis inquiramus; illa enim rectè investigatâ, facilè patebit, quid in præsenti quæstione sit sentiendum.

Advertendum itaque Bannum seu Excommunicationem in R e nihil aliud esse, quam quod apud Judæos Synagogâ ejici Joh. 9. v. 22. & cap. 12. v. 42. sive aliâ phrasi expungi ex populo DEI, ut colligere est ex Luc. 6. v. 22. quemadmodum

dum Romani dicebantur capitis diminutionem pati, qui ex albo à Censoribus expungebantur. Stylo communi Nov. Testamenti appellatur CLAVIS LIGANS, de qua Salvator noster Matth.16. v.19. & cap.18. v.18. ubi in priore loco sermonem quidem ad Petrum, sed in posteriore ad omnes Apostolos dirigit: Quod idem etiam facit Joh.20. v. 23. ubi sine ullo discrimine & æqualiter POTESTATEM SOLVENDI, *seu absolvendi à peccatis*, & *potestatem ligandi*, ac *retinendi peccata* Apostolis suis largitur: Ex quo ipso sponte fluit, potestatem illam *Originis* & *Juris* esse divini, cum solus DEUS ABSOLUTE remittere possit peccata, & porro quod ista Potestas SPIRITUALIS sit, quia in remedium animæ nostræ à Christo Animarum nostrarum fidelissimo medico data est; Unde quæ ad *Sphæram* Temporalis objecti pertinent, attingere omnino non debet: Id quod facile etiam ex apposita CLAVE quæ est LIGANS colligi potest: Utriusque enim quoad OBJECTUM est par ratio: Quare uti *Clavis solvens*, ex omnium confessione in Refrigerium animæ sub æstu peccatorum anxiæ & gementis data est, ita *Clavis ligans*, ad correctionem ejusdem animæ pertinet; ut sicut quædam medicamenta, dantur ægris ad refocillationem, ita quædam dantur ad depellendos impuros & gangrænosos humores, quæ plerumq; duriora sunt, ita ut pro qualitate morbi vel gangrænæ ignem ac ferrum exposcant; sic se res habet cum anima, quæ si gangræna vitiorum incorrigibilium laboret, tum *Clavis ligans* applicatur. Hinc quemadmodum præpostere, & contra Leges veræ medicinæ ac in perniciem ægri ageret, qui Gangrænosis applicaret remedia lenia, contra in *deliquio* constitutos subjiceret IGNI & FERRO. Ita multo magis se res habet cum spiritualiter ægris: Aliter contumax peccator tractandus est; aliter

verè pœnitens, & qui inter lacrymas pœnitentiales quasi natat.

Porrò uti exercens artem medicam suas curandi habet regulas methodos & leges; ita Leges suas habet Spiritualis medicus, quas ipsi non præscripsit Humana Authoritas sed Divina Potestas; hujus leges si talis medicus transgreditur, vel potestate illa abutitur, tum gravissimam DEO rationem ABUSUS reddere tenetur, sic apud Esaiam gravissimam pœnam minatur DEUS illis Sacerdotibus tum PRIMI tum SECUNDI ORDINIS, qui methodo præpostera solantur malignos & contumaces peccatores, contra afflictas cruciant vel torquent animas; Et Salvator noster Væ illud Tremendum intonat contra Pharisæos, qui populo salutis sitienti & Christo adhærenti excomunicationem intentarunt; Ex quo ipso consequitur, quod contingere possit, ut is, qui Innocenter excommunicatur sive à Communione Ecclesiæ ejicitur ac sacris privatur, revera non tantum in Communione sit Ecclesiæ sed & in gratia DEI; cum alter qui talem Innocentem Banno Spirituali subjecit, tanquam malignus USURPATOR potestatis divinæ extra gratiam DEI, atque extra Communionem internam Ecclesiæ vivat. Sic de Judæis dicit Christus, quod Apostolos BANNO sint subjecturi; constat autem quod Apostoli non tantum vera fuerint membra Ecclesiæ, sed etiam ejus architecti. Quod Origines rectè expressit Hom. 48. supra Leviticum, inquiens. *Interdum fit, ut aliquis non recto judicio eorum, qui* PRÆSUNT *Ecclesiæ depellatur, ac foras mittatur*; hoc est Excommunicetur: *qui tamen revera non exit, nec extra Ecclesiam est: Hoc est, si non ita se gessit, ut mereatur exire* vel expelli, *tum nihil læditur in eo, quia non recto judicio ab hominibus est expulsus*; Atque *ita fit, ut interdum ille, qui foras mittitur* INTUS *fit; & ille* FORIS sit, *qui* INTUS videtur.

Et

Et Gregorius M. Pontifex disertè ait, quod *is scissum ligandi & solvendi* POTESTATE *privet, qui hanc pro suis voluptatibus & non pro Subjectorum moribus exercet.* Quin, inquit, *si quis illicitè quemquam excommunicat*, SEIPSUM *non illum excommunicat.* Ista jam si ad præsens negotium applicentur ad Bannum Clementis XI. quem Imperatori nostro in victissimo magno verborũ acerbitate & violentia, minatur, patebit, quod juxta *Gregorium* Episcopum Romanum optimum & JUXTA VERITATEM Excomunicationem ipse mereatur; atque adeo quod sacrum illud fulmen Pontificis ipsius Romani Caput feriat.

Nam primo JURA Cæsarum, Regum ac Principum temporalia planè non pertinent ad objectum CLAVIS LIGANTIS, nec ex illo Capite quisquam excommunicari potest: Quod constare potest ab Exemplis Apostolorum *Pauli* & *Petri*, cujus Pontifex prætendit esse successor: Nam Paulus Romæ degens monstrum illud hominis Neronem Imperatorem, nunquam agnovit pro Objecto *Clavis Ligantis*, neque JURA ejus tentavit, sed potius præcepit ut *omnis anima subjecta* sit potestatibus supereminentibus: Contra excomunicavit, seu anathemate percussit falsos Apostolos, Novi Evangelii prædicatores Gal. 1. v. 8. 9. *Incestuosum* 1. Cor. 5. 9. HYMENÆUM & *Alexandrum* 1. Tim. 1. v. 20. Evangelii prædicationem per varias artes turbantes.

Neque etiam Petrus unquam putavit vel credidit, quod Salvator ipsi dederit potestatem inquirendi in JURA principum, Regum atque Imperatorem, atque illos eo TITULO excommunicandi, quod *Patrimonium* ejus possideant.

Quam ergò Potestatem Christus non exercuit, quamque adeo nec Petro nec Paulo nec reliquis Apostolis dedit, quomodo successor Petri qualem se dicit Pontifex Rom.

vel

vel habere vel exercere potest? Unde admodum nervosè *Goffridus AB. Vindoc. S. Prisca Card. in Op.* 11. *ad Petrum Leonis, S. R. E. Card.* ad Calixtum Papam ait:

„ Sunt quidam, qui Romanæ Ecclesiæ omnia licere „ putant: Quicunque sic sapit, ille desipit nam Ecclesiæ Ro„ manæ minimè licet, quod Petro non licuit. Petro, quæ „ liganda erant, ligandi, & quæ solvenda, solvendi: non „ quæ liganda solvendi, vel quæ solvenda ligandi concessa „ fuit facultas. Petrus etiam si aliquando aliter egit, Paulus „ ei in faciem resistere minimè timuit, licet in conversione „ novitius. Petrus verò sui junioris increpationem liben„ ter suscipiens, quod plus isto fecerat, diligenter correxit. „ Si quis aliter in Ecclesia facit, rationi simul & veritati „ contradicit; nec solum Lucernam ardentem non „ habet, verum etiam aliorum ardentes extinguit. Et ideo „ NON RECTE dicitur Christi VICARIUS, sed Dux est Cœco„ rum ipse Cœcus.

Attendat ad ista Clemens XI. & videat quod dum propter temporalia exercere vult *potestatem spiritualem*, & quidem in IMPERATOREM, à cujus majoribus omnia habet, quæcunque legitimè possidet, teste tota Historia. Attendat inquam ad illud Augustini super Johann.

Per JURA *Regum possessiones habentur: Si verò dixeris, quid mihi & Regi? Noli jam dicere possessiones Tuas, quia ad ipsa Jura, quibus possessiones possidentur renunciasti: Nam secundum Jus* & *ex beneficio, imperatorum possides terrena. Tolle imperatorum Jura, quis audet dicere, mea est illa villa aut meus est ille servus, aut mea est illa domus.*

Nervosius adhuc Abbas Claræ Vallensis Bernhardus, ad Eugenium Pontificem, Apostolis, *inquit*, interdicitur DOMINATIO: indicitur MINISTERIUM. Nec illud tibi dare Petrus

Petrus potuit, quod non habuit. Argentum, *inquit*, non est mihi, *multo minus Commachium urbs*, vel *Ducatus Ferrariensis*; Quod habuit, hoc dedit Petrus, scilicet SOLLICITUDINEM super Ecclesias, non DOMINATIONEM. Disce MINISTERIUM Tibi impositum, non DOMINIUM datum. Disce SACCULO Tibi opus esse, non SCEPTRO. Non monstrabitur ubi aliquando quispiam Apostolorum sederit Judex hominum, *in temporalibus*, aut diversorum Terminorum, aut distributor terrarum.

Hæc sanè Bernhardi ad Eugenium divina admonitio, aures quoque Clementis nostri vellicare deberet, aut potius Animum. Non quæret aliquando in die Pantocritico Christus quo Zelo Parmam & Placentiam, Ferrariam & Commachium defenderit; sed quo Zelo veram Pietatem promoverit; quas animas è faucibus Diaboli per Evangelium extraxerit. Quomodo scandala in Christianismo sustulerit. At quis negare poterit ATTENTATUM istud Excommunicationis pro Re temporali, & quidem Imperatoris Romani, rem esse scandalosissimam: Quod ostendi potest ex ipsis Pontificum Romanorum recentissimis attestatis. Nam cum Anno 1625. Liber in publicum prodiret authore Becano Jesuita, sub titulo *Controversia Anglicana* de potestate Regis & Pontificis; in quo variæ erant assertiones, quas jam Clemens XI. facto ipso exercet.

Ut primo; quod Pontifex possit Reges, ac Principes Excommunicare.

Secundo. Quod possit taliter excommunicatos etiam deponere.

Tertio. Quod hæc depositio fieri possit, vel per absolutionem, quando Pontifex absolvit subditos à vinculo subjectionis vel per compensationem &c.

I   Ejus-

Ejusmodi assertiones, quarum primam, Pontifex expressè minatur, quod in actum deducere, Sequentes verò per ARMA tentare velit, à Paulo V. expressè fuere pro scandalosis declaratæ: Declaratio ita sonat:

Censura libri Becani Soc. Jes. à S. D. N.

PAULO divina providentia *Papa* V. facta.

Cum nuper in lucem editus fuerit libellus, sermone Latino conscriptus, cui titulus, *Controversia Anglicana de potestate Regis & Pontificis* &c. in quo nonnulla falsa, temeraria, SCANDALOSA, & seditiosa *respective* continentur. Hac de re ad S. D. N. Paulum V. delata, idem sanctissimus, præhabita dicti libelli matura discussione, ægre ferens, pro Pastorali sua sollicitudine & vigilantia, ejusmodi libros ex quibus grave aliquod Scandalum aliquando oriri posset, à Viris Catholicis in lucem edi, præfatum libellum omnino prohiberi mandavit, donec corrigatur. &c.

Eundem librum Becani etiam rejecit Claudius Aquavina tum temporis præpositus Generalis Societatis Jesu, ut constat ex Epist. Romæ scripta 2. Jan. 1613. addens, ideò proscribendum esse librum, ne unius error toti Societati Jes. adscribatur.

Sic etiam in Gallia, res decisa fuit cum quidam Presbyter Religiosus nomine *Jacobus Florentinus*, hunc articulum in thesibus suis haberet:

Pontifex, quia in terris Vices DEI gerit, ideoque ab eodem esse Spiritualia & TEMPORALIA non est ambigendum; non spiritualem enim tantum sed & temporalē in omnes cujuscunque generis homines habet potestatem. Nam ex Decreto Curiæ Parisiensis tum præses disputationis Thomas Blanzy Doctor Theol. tum Respondens in carcerem fuere conjecti, postmodum jussus est Respondens recantare, id quod factum in aula majore

jore Sorbonnæ, in qua Decanus Syndicus, Doctores, Licentiati & Baccalaurei cum magna turba convenerant, ibi aperto capite & flexis genibus, adstante etiam dicto Præside Blanzy nudato capite, Respondens confessus est; quod ipsum pœniteat, quod temerarie, & indiscrete composuerit & publicaverit dictam disputationem, veniam postulando, à DEO, à Rege, & à Justitia. Quo peracto, rupta & lacerata fuit disputatio, simulque injunctum, ne quis amplius tales assertiones audeat proferre *sub pœna Criminis læsæ* Majestatis.

Nec minore Zelo eadem Gallia cum Clero suo detonuit, contra librum supra memoratum Becani. Sic enim *Georgius Frogerius* Doctor Sorbonicus de illo Becani Libro loquitur: *Non possum non magnopere offendi, & exacerbari adversus dirum & pessime feriatum hominem Becanum: ejusque portentosum valde libellum non repudiare & proculcare, quem nuper inscripsit & edidit sub titulo Controversiæ Anglicanæ, sed planè* MANIACO *&* DIABOLICO, *& mente impia & sacrilega.*

„ Addit idem Frogerius: Non dubito paterna Pontificis viscera commoveri erga Charissimos Principes, filios „ suos, quos non amat ad iracundiam provocare, imo pro „ quibus quotidie invigilat lacrimabundus; ut MALIT QUIDLIBET AB IIS PATI, quam de EXHÆREDANDO illos cogi- „ tare. Quin tametsi omnia ejus suspiria, lacrymæ, labores, molestiæ, oratores non mollirent animum principis, „ satius foret, expectare, & comparare se ad martyrium.

Hæc Gallus ille scriptor, quod facto ipso præstitit supra laudatus Innocentius XI. qui licet varias à Galliæ Rege, easque gravissimas sentiret molestias, sublata provincia Avenionensi, antiquo Episcopi Romani peculio, additis quoque minis, de Roma oppugnanda, & ejiciendo Inno-

centio, iste tamen non ad Excommunicationem, neque ad arma CARNALIA progressus est, sed se paratum esse Sacrificium pro Causa Ecclesiæ generosè pronunciavit.

Hanc Modestiam, lenitatem ac mansuetudinem etiam observare debuisset Clemens XI. etiamsi circa Temporalia Parmam & Plancentiam bonam Causam haberet; Licet eam planè non habeat. Ut supra vidimus. Stringit ille gladium SPIRITUALEM & CARNALEM contra sacratissimum Imperatorem; Videat, ne ipsi eveniat quod Christus temerario Petro Gladium evaginanti dixit. *Peribit gladio*, qui *gladium sumet*.

Hinc tertio, si Ecclesiam læsit Imperator noster Josephus, tum Ecclesia Causam illam, vel in Concilio Generali, vel aliis modis tractare debuisset, non solus Pontifex, qui iterum, sub venerando Ecclesiæ Titulo immanem Ambitionem suam velat; Et primò quidem certum est, quod POSSESSIONES illæ Provinciarum in Italia, quas hactenus Pontifex sui Juris fecit, Ecclesiam planè nil juvent. Non habent quicquam ex iis præsidii subditi illarum provinciarum, cum satis constet, quod nullibi gravius jugum sentiant, quam ubi Pontifex DOMINIUM exercet: Patet id cuivis perlustranti Italiam: Nullibi enim major paupertas incolarum deprehenditur, quam in urbibus & pagis in quos Pontifex Imperium sumpsit, ut non opus sit monstrare, quænam *exempli gratia* urbs aut pagus ad Rempublicam Venetam, aut Genuensem pertineat, & quænam ad Pontificem; querelæ ingentes, civium paupertas, imò solitudo talium locorum satis id clamant.

Professa est olim id ipsum publicè Germania in Comitiis Noribergensibus Anno 1523. ubi centum gravamina contra Curiæ Romanæ ABUSUS proposuit, quæ

omnia

omnia Tribus Capitibus comprehendebantur; nempe.

1. *Quod dicta Curia Romana gravissima servitute populum premat*; quæ servitus duplicata est; ubi Pontifex JURISDICTIONEM quoque secularem habet.
2. *Quod Germaniam facultatibus exspoliet*; quod Italiæ provinciæ ipsius dominio subjectæ hodiè in primis sentiunt.
3. *Magistratus secularis* JURISDICTIONEM *sibi vindicet*.

Hæc sanè Gravamina, quibus mederi Adrianus VI. Pont. promiserat, sed promissa præstare non poterat, ob CARNALES & COMMODIS suis inhiantes Cardinales obstantes ac contradicentes; hæc inquam Gravamina adhuc durant, ac videtur præsens Pontifex majora adhuc onera imponere velle: nisi maturè obviam eatur. Docuere id nuper Comitiæ Ratisbonenses, dum de ANNATIS revocandis magna deliberatio, ut novellæ docuere, fuit instituta: Faxit DEUS TER optimus max. & mentes ac Consilia dirigat Legatorum Imperii, ut saluberrima consultatio ad felicem deveniat decisionem, ac Germania grave illud jugum, cervicibus deponat.

Cum itaque nihil subsidii habeat Ecclesia, ut dictum, si Episcopus Romanus multas provincias sub seculari potestate tenet; si ad nihil aliud serviunt, quam quod Pontifex ambitiosius imperet? si pauperes nihil exindè solatii capiunt, sed potius illi, qui adhuc bona aliqua habuerunt, ita per exactiones Pontificias vexantur, ut ad summam egestatem perveniant; Quis non videt, quod merus fucus, & impostura sit, quum Pontifex dicit Imperatorem injuriam inferre Ecclesiæ, cum JURA sua antiquissima in Italia revocat; Ecclesiæ nihil adimitur, Ecclesia est Corpus spirituale;

est sponsa Christi; Isti sponsæ castissimæ nihil commercii est cum Bonis TEMPORALIBUS, quibus non afficitur, sed Regnum quærit sponsi sui, quod est JUSTITIA, PAX & GAUDIUM in Spiritu Sancto. Hisce divitiis gaudet, non *terrenis* quæ POSSESSA ONERANT, *amissa cruciant*, ut loquitur *Bernhardus*.

Dicet fortè, Pontifex Rom. Clemens XI. se Ecclesiam repræsentare, adeoque quicquid sibi eripiatur id, eripi Ecclesiæ.

Verum enim verò nulla hypothesis periculosior est Ecclesiæ Cathol. Romanæ, quam hæc ipsa, ut sæpe miratus fuerim, quod Doctissimi & perspicacissimi alias Viri eam defendere ausi sint.

Nam ea stante, si Pòntifex fuit hæreticus, vel Simoniacus, vel adulter, vel incestuosus, prout exempla satis multa prostant, quam turpis imò quam abominanda tum fuit facies REPRÆSENTATIVÆ Ecclesiæ Catholicæ; & quis se illi tutò jungere potuisset.

Denique rectissimè exponit Augustus noster JOSEPHUS in MANDATO suo, quod EXCOMMUNICATIONIS objecta sint, PECCATA MORTALIA, ac contumacia in notabili errore fidei; & quod ad ejus Executionem pertineat PRÆVIA PERSONARUM CITATIO.

Ita informandus est Clemens XI. in partibus officii sui ab Imperatore nostro; Idem potuisset discere ex Bernhardo, qui in Consid. ad Eugenium Pontificem.

Ergo in criminibus, ait, *non in possessionibus potestas vestra: quoniam propter illa, & non propter has, accepistis claves regni cælorum, prævaricatores utique exclusuri, non possessores. Ut sciatis, ait, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, &c. Quænam tibi major videtur dignitas, & potestas, dimittendi peccata, an prædia dividendi? sed*

sed non est comparatio. Habent hæc infima, & terrena judices suos, reges, & principes terræ. Quid fines alienos invaditis? Quid falcem vestram in alienam messem extenditis? Non quia indigni vos: sed quia indignum vobis, talibus insistere: quippe potioribus occupatis.

Et sanè à multis jam seculis nemo majorem Causam & occasionem habuit exercendi CLAVEM LIGANTEM per EXCOMMUNICATIONES ob peccata mortalia gravissima:

Nam quantum peccatum est in Cardin. Porto-Carero, qui contra omne Jus & Fas, contra tot Testamenta, atque ultimas voluntates Regum Hispaniæ Carolum II. morientem, eo induxit, vel nescio per quas præstigias comovit, ut Philippum Andegavensem pro Hærede Regnorum suorum scriberet. Hoc Scelus, si in Clementem XI. commissum, fuisset, DIRIS & FULMINIBUS omnibus tam atrocem injuriam, aut perfidiam potius ultus fuisset. Cur ergò si comunem Christianismi curam gerit, JUSTITIAM EX ÆQUO non administrat? Cur illum Europæ totius perturbatorem, ac justitiæ omnis acerrimum hostem Cardinalem, Porto Carerum non citat; & condigna pœna afficit? Cur illum à sede sua Archi-Episcopali, & gradu Cardinalitio non dejicit? ista enim ad Pontificem pertinent; non Majestas Imperialis.

Porrò: quantum peccatum est, quod de præsenti Gallia Hungaros non ad rebellionem saltem contra Imperatorem nostrum excitat, sed etiam ipsos pecunia & militibus juvat. Comparet ista, ut Hungaria hactenus per cædes & latrocinia rebellium in sanguine suo nataverit *Clemens* Pontifex, cum eo, quod Cæsar noster militem in Parmæ & Placentiæ urbibus hybernæ tempore habuit, & videbit, nisi spontanea cœcitate laborare velit, quod tanta sit differentia (posito etiam, licet planè non concesso, quod

dicta

dicta *Parma* ad Imperium non pertineat) quanta est inter Muscam & Elephantum! Cur ergò hic non fungitur officio suo Pontifex?

Denique judicandum relinquo non tantum Pontifici Clementi XI. sed & toti Choro Cardinalium, annon Peccatum sit Gravissime Mortale quod Sixti V. thesaurum quem sub gravi anathemate in Castro sancti Angeli deposuit, rapaci manu invasit, atque aliquot tonnas auri sustulit ad Bellum contra Romanorum Imperatorem gerendum. Nam primò ille thesaurus depositus fuit ad ultimam Ecclesiæ necessitatem; At jam nulla est necessitas, nullum periculum, nisi cujus ipse Pontifex faber est.

Secundò maxima summa illarum quinque millionum Sixtinarum ex Germania extracta est. Jam per hanc ipsam pecuniam Clemens Romanorum Imperatorem & Germaniæ Regem nefariis armis oppugnat.

Tertiò, totum litigium est de Parma & Placentia, an Pontifex sit Dominus Directus an verò Imperator? num verò hæc quæstio, quæ merè secularis est, & ex qua Ecclesiæ Catholicæ nullum periculum accidere potest, sive Pro sive Contra decidatur, tanti ponderis esse potest, ut Pontifex, qui arma temporalia ut Vicarius Christi plane nec ferre potest nec debet, sanguinolentum aliquod bellum gerat? Necessitates Ecclesiæ sunt, si Infideles e.g. Turcæ eam invadat; si & inopia annonæ ita invalescat, ut non habeat paupertas unde famem soletur; si denique ministri Ecclesiæ nihil amplius habent, unde vivant; tum Sixti V. Thesauri aperiendi sunt, non pro distinctione inter Dominium directum & indirectum, nec pro Quæstione: An Dux Parmensis sit Vasallus Imperatoris vel Pontificis.

CA-

CAPUT VI.

De Banno Pauli V.

Quo Anno MDCVI. Rempublicam Venetam excommunicavit.

SUMMA.

1. *Recensetur historia Excommunicationis Veneta.*
2. *Impudens Card. Baronii parenesis sistitur.*
3. *Recensetur qua Constantia Respublica illa Bannum contempserit.*
4. *Donati, Ducis Veneti Decretum contra Bullam exhibetur.*
5. *Germania ad parem constantiam animatur.*

NOn abs re judicamus, ut pulchrum illud constantiæ exemplum, quod ante centum & duos annos Respublica Veneta exhibuit, sistamus per quod etiam cum magna sui Gloria de Pauli V. iniquis fulminibus triumphavit.

Rem in compendio narrabimus, ut constet, quam ingentes illæ IRÆ Romanæ, tutò contemni possint, imò debeant. Posuerat Respublica legem, dum sedes Romana vacabat, qua Ecclesiasticis interdicebatur, ne BONA IMMOBILIA possint acquirere. Hanc Legem abrogatã volebat *novus* P. Paulus ceu adversam Libertati Ecclesiasticæ; Renuerunt Veneti, dicendo nullam se propriè legem Ecclesiasticis Personis dedisse, sed secularibus hoc est subditis suis; De quorum Bonis & possessionibus Respublica Libere possit disponere. Cum in Temporalibus Respublica V. non agnoscat superiorem nisi DEUM. Ecclesiasticis personis non demi BONA

 simpli-

Ad ista extrema non leviter impulerat Pontificem Baronius Cardinalis, Vir alias non indoctus, sed summus sedis Pontificiæ adulator.

Meretur dicti Baronii Parænesis ut hic legatur.

ILLUSTRISSIMI CARDINALIS CÆSARIS BARONII CONTRA SERENISSIMAM REMPUBLICAM VENETAM.

VOTUM.

D*Uplex est, Beatissime pater, ministerium Petri, pascere & occidere. Dixit enim pasce oves meas, andivitque Petrus è cælo vocem, occide, & manduca. Pasce oves meas, est curam gerere obsequentium fidelium Christianorum, mansuetudine, humilitate, ac puritate oves, & agnos præ se ferentes, cum vero non cum ovibus, & agnis negotium sit, sed cum Leonibus, & aliis feris animalibus refractariis & adversantibus agendum sit. Petrus jubetur eas occidere, obsistere scilicet, pugnare, & expugnare, ne tales sint penitus: Sed quod hujusmodi occisio non esse debeat nisi ex summa charitate, quod occiditur, præcipitur manducari, nempe per Christianam charitatem intra sua viscera recondere, in se ipsum counire, ut sint simul unum & idem in Christo quod dicebat Apostolus:* Cupio vos in visceribus Jesu Christi. *Sic igitur non est occisio ista crudelitas, sed pietas, atque sincera Charitas, cum sic occidendo salvetur, quod eo modo vivere sinendo perierat.* Est excommunicatio, *ut Nicolaus Papa docet*, non ad occidendum venenum, sed ad sanandum aptitissimum medicamentum: *sicut videamus patrem amare vincula, quibus ligatur a Medico filius phrenesi laborans sperantem iisdem posse curari. Perge igitur Sanctissime Pater, quod cœpisti, in quo non est, qui te redarguere possit nimia festinationis, cum dicat Paulus Apostolus ad Corinthiorum scribens Ecclesiam.* In promtu habentes ulcisci omnem inobedientiam, *in promtu hoc illi faciendum præcipit. Tua vero Sanctitas in his diutius est immorata, scribens sæpius dilationes iterans in hanc usque diem. At vero, ut verum fatear, exsulto spiritu, dicam cum Apostolo superabundo gaudio, videns in hac mea senectute in Sede Petri sedere alterum Greg. VII. sive Alexandrum III. hos scil. præcipuos vindices collapsæ penitus ecclesiasticæ libertatis, ambos ex Senensi Metropo-*

ti, unde Sanctitas vestra originem ducit, vocatos ad Cathedram Petri: quorum alter expugnavit, Henricum Imperatorem perversissimum; alter mira constantia resistens Fridericum Imperatorem etiam penitus superavit. Idem tibi certamen ineundum est. Trutina hæc in manu tua. Dicam cum Isaia: Erige collapsam, *protritam, sepultamque Ecclesiasticam libertatem, certa paratur tibi Victoria: etenim nobiscum Deus, nam verbum Christi est. Et Portæ inferi non prævalebunt adversus eam: Potius ut es in Ecclesia successor Petri & in te promissiones ipsæ factæ perveniant, & firmentur, de te puta dictum illud Ezechielis;* Dedi faciem tuam valentiorem faciebus eorum, & frontem tuam duriorem frontibus eorum ecce dedi; posui faciem tuam, ut petram durissimam, *quod idem dictum est Hieremiæ:* Posui te in columnam ferream, & murum æneum. *Sicque memor esto te in Ecclesia positum esse Petram, in quam omnes, qui te offendent, confringentur, tu vero semper permanebis illæsus conjunctus Christo, qui pro te pugnabit, & vincet.*

Sed pro Repl. Veneta contra ista Curiæ Romanæ attentata magno animo stetere Theologi Catholici

Petrus Antonius Ribertus Vicarius Generalis.

F. Paulus Sarpius ex Servitarum Ordine.

Fr. Berhardus Jordonus.

Michael Angelus Bonicelli.

F. Marcus Antonius Capellus Franciscanus.

F. Camillus Augustinianus.

Fr. Fulgentius itidem Servita.

Hi Theologi, JurisConsultos Paduanos non nominamus, pulcherrimis rationibus ostenderunt, quod INTERDICTUM, seu Excomunicatio Pauli V. ipso Jure sit NULLA; quod adversetur divinis Scripturis, praxi Apostolicæ Petri & Pauli, & quod *Votum* C. Baronii, turpis sit adulatio.

Quin Leonardus Donatus Dux Venetorum Decretum per omnes terras publicavit, in quo INTERDICTUM, pro INJUSTO ac invalido fuit declaratum.

Tenor ejus fuit sequens.

Revi-

LEONH. DONATUS DUX VENET.

Reverendissimis Patriarchis, Archi-Episcopis, Episcopis universi Dominii nostri Venetiarum, Abbatibus, Prioribus, Parochis &c.

AD aures nostras pervenit, Sanctissimi Patris Pauli Papæ Quinti mandato quoddam assertum Breve contra Nos, & Senatum, ac Dominium nostrum fulminatum, Romæ die 17. Aprilis proxime elapsi publicatum & affixum fuisse, vobisque directum, cujus tenor in ipsis ejus literis continetur. Quamobrem Nos, qui tranquillitatem ac quietem dominii nostro regimini à Deo commissi servare tenemur; & auctoritatem Principis neminem superiorem in temporalibus sub Divina Majestate agnoscentis tueri debemus, his nostris publicis literis coram Deo & universo orbe protestamur, nihil eorum, quæ per nos fieri poterant, prætermissum fuisse, quo validissimæ & indissolubiles rationes, & jura nostra Sanctitati suæ innotescerent, eique probarentur; primum quidem per Oratorem nostrum apud Sanctitatem suam Legatione fungentem, deinde vero per nostras literas; quibus respondimus prioribus Brevibus nobis ab ea directis, demum per extraordinarium Oratorem ad eandem propterea missum. Verum cum Sanctitatis suæ aures clausas invenerimus, cognoverimusque, præfatum Breve contra OMNE JUS & ÆQUM emanasse, & contra ea, quæ divina Scriptura, sanctorum Patrum doctrina, sacrique Canones præcipiunt, in præjudicium auctoritatis secularis à DEO Nobis traditæ, & libertatis Reipublicæ nostræ, cum perturbatione tranquillæ possessionis, bonorum, honoris & vitæ, qua fideles subditi nostri, divina gratia, sub nostro regimine fruuntur, non sine omnium scandalo promulgatum fuisse: Prædictum Breve non modo ut INJUSTUM, indebitumq; verum etiam uti NULLUM, nulliusq; roboris aut momenti Nobis habendum esse non dubitamus; Atque ita invalidum, irritum & fulminatum illegitime, & de facto, nulloque juris ordine servato, ut ea remedia adhibenda nos duxerimus, quibus Majores nostri, & alii supremi Principes usi sunt cum Pontificibus, qui potestatis, à Deo sibi in ædificationem traditæ limites ac modos egressi fuerunt. Præsertim cum exploratum Nobis sit, vos, cæterosque cultui operam dedistis, qui vestra diligentia in hac nostra ditione floret, ut cæteris non sit invidendum; ita posthac in eodem Pastorali officio perseverare

severaturi sitis: cum Nobis decretum constitutumque sit, in sanctâ fide Catholica & Apostolica, atque in observantia erga S. Rom. Ecclesiam persistere, quam Majores nostri à prima hujus civitatis origine huc usque, divina comitante gratia, & sine ulla intermissione coluerunt.

Mandantes, has nostras, ut omnibus innotescant, in magis conspicuis hujus nostræ urbis, ac aliarum fidelium civitatum nostro Principatui subjectarum, locis affigi: Certo existimantes, tam manifestam promulgationem ad omnium aures perventuram, qui de ejusdem Brevis publicatione aliquid audierunt, imò ad Sanctitatis suæ aures accessuram. Denique obsecramus, ut suo divino Spiritu illius mentem excitet, quo Brevis sui, & omnium contra Nos actorum nullitatem cognoscat, & causæ Nostræ justitia ac æquitate perspecta, animos Nobis addat ad obsequium, reverentiamque retinendam erga sanctam Sedem Apostolicam, cujus Nos Præcessoresque nostri, ac Respublica universa semper fuimus studiosissimi, ac in posterum fore decrevimus. Datum in Nostro Ducali Palatio, die 6. Maij, Indictione 4. MDCVI.

Hoc ipsum Decretum Ducis Veneti magnos Romæ motus excitavit; jamque res ad ARMA *spectare videbatur, dum & Pontifex militem legeret, & Respublica Veneta triremes suas armaret; sed intervenit Galliæ Rex, qui misso Legato Card.* Jousa, *post varias altercationes tandem Paulum V. P. eo commovit, ut* INTERDICTUM TEMERARIUM *revocaret. Respublica Veneta suas Leges relinqueret intactas, nec quicquam obtineret, nisi quod tres Personæ Ecclesiasticæ captivæ traderentur in manus Gallorum.*

Hunc pulcherrimum Triumphum reportavit Respublica Veneta, contra fulmen EXCOMMUNICATIONIS *injustum: Gloriosior Victoria & Triumphus debetur* AUGUST. *nostro Cæsari, quia causa ejus longè justior est; & quia Pontifex Cæsari, non Cæsar Pontifici in* REBUS TEMPORALIBUS *subest; in* Spiritualibus *autem Pontifex est sub* CONCILIO. *Exurgat ergò Germania, & Causam pro* AUGUSTO *suo* CAPITE *gerat* FORTITER.

De felicitate armorum, non opus est, ut dubitetur, nam Majestas Imperatoris, pro qua pugnatur, est MAJESTAS IMMEDIATE *à DEO, collata. Non permittet DEUS, ut Sacratissima Cæsaris, tanquam* VICARII *sui, Persona per iniqua arma lædatur.*

CA-

CAPUT VII.

De Jure Armorum.

An Pontifex jus habeat Imperatorem per arma secularia impugnandi.

SUMMA.

1. *Transitus fit ab armis* Spiritualibus *Pontificis, ad secularia, quæ gerit contra Imperatorem.*
2. *Ostenditur, quod Jure Divino prohibitum sit Episcopo Romano, ut successori Petri arma gestare.*

Visis armis Spiritualibus, quæ Clemens XI. injustissimè rotavit, contra Augustum nostrum Josephum; superest ut etiam spectemus ARMA TEMPORALIA quibus jam idem Pontifex stupente Christianismo utitur, ad oppugnandum nostrum Imperatorem.

Equidem non ignoramus, quod speciosus in Bulla Pontificis obtendatur TITULUS, nempe Clementem CAUSAM tueri CHRISTI, & ECCLESIÆ suæ; verum jam supra ex Codice S. ostendimus, quod id non prætendat Salvator noster, ut Apostoli eorumque successores regnum suum armis corporalibus propugnent, sed quod potius contra protestetur, & laudatissima Vox nuper fuit in Congregatione Cardinalis NIGRONI, qui cum Pontifex omnes pro defensione Bonorum Ecclesiæ Cardinales hortaretur, ut etiam ad Bellum quod contra Cæsarem gerere paratus sit pecuniis adjuvarent; ille respondit, Bellum istud non geri in adjumentum, & favorem Ecclesiæ, sed in GRATIAM Regis Galliæ; Cæterum si Pontifex arma velit contra Turcas vertere, se centum millia scutatorum collaturum. *Optimè!*

Operæ

Operæ ergo jam precium est, ut videamus, an Episcopo Romano liceat Arma gerere pro Regnis & Provinciis: Armatus est spirituali GLADIO: videamus an etiam ipsi competat TEMPORALIS: sanè si Codicem DIVINUM consulamus, deprehendemus clare, quod fundator Ecclesiæ Christus, nihil minus voluerit quam causam Ecclesiæ suæ per GLADIUM defendere. Ipse enim Petro evaginanti gladium dicebat, *Reconde illum, qui enim gladium sumit, gladio peribit. Aut an nescis, quod à patre meo duodecim Angelorum legiones habere possem si vellem.* Ubi nihil clarius est, quam quod Christus Petro Apostolo omnem violentiam per *ferrum* & *arma* prohibeat. Quem locum benè ponderat Anshelmus Cantuariensis. *Datur inquit* MATERIALIS gladius CARNALIBUS, SPIRITUALIS autem MINISTRIS SPIRITUALIBUS; sed sicut non convenit Regibus, quod ad STOLAM pertinet; sic nec EPISCOPUS quæ Regis sunt exercere debet: quod quia *Petrus* quodammodo exercuit, à Domino increpari meruit.

Nec inepta est observatio *Johannis* de Sylveira Theologi Ulyssiponensis, qui in hunc locum ita scribit, *videns Christus, quod* PETRUS SACERDOS, *manum extendebat, ad militis manus, & quod cum esset* PONTIFEX, *sese in gereret in* REGIS *munus ait illi.* Reconde gladium Tuum in locum Suum; *Vult enim dominus, quod quilicet persistere debeat in munere sibi commisso;* PONTIFEX *in suo, ut* PONTIFEX, *Sacerdos in suo, ut Sacerdos,* REX *in suo Regno; & quod nemo ultra suam Spharam debeat prosilire.*

Ut proin impudentissima sit exceptio Joh. Turrecrematæ, qui ait, eo ipso quod dicat Christus ad Petrum *reconde gladium* TUUM, palam fieri, quod Christus in *Petro* agnoverit gladium auctoritativum Temporalem, nec in Petro

tantum

tantum, sed etiam in ejus successoribus, quibus uti debeant ad extirpandos infideles, hæreticos, Schismaticos ac Tyrannos Ecclesiæ.

Impudenter, inquam, ista dicuntur, nam quis unquam in Gladio aliquo Piscatorio quæsivit Potestatem Civilem? aut quis ex actione Petri, quæ ex præcipiti ac stolido fervore procedebat, JUS formare poterit, pro POTESTATE Bellum publicum gerendi contra Cæsarem VICES DEI tenentem.

Melius Tertullianus qui in libr. de Pat. significanter & subtiliter ait, *Patientiam Jesu Christi à Petro vulneratam* esse in Malcho. Quasi diceret, Petrum Magistro suo patientiam sæpius *exemplo* suo docenti, injuriam intulisse, dum præcipitanter gladio & violentia usus fuerit. Et Dionysiius Carthusianus, actionem Petri ZELUM vocat INDISCRETUM, non exercitium potestatis politicæ, Petro competentis; Sic & *Lucas Brugensis* vir doctus, & in Ecclesia Rom. Cathol. non postremus, docet, *Petrum gladium evaginasse & contra Malchum strinxisse, eodem mentis ardore, quo Christum Magistrum increpabat; de morte sua loquentem;* quæ increpatio adeo displicuit Salvatori, ut *Petrum* vocaret *Satanam*;

Secunda ratio, quod Christus Episcopo Romano, tanquam Vicario, nulla ARMA MILITARIA, CRUENTA, & sanguinem humanum spirantia in manus dederit, desumitur ex ejus statu Exaltationis, qui incæpit post Resurrectionem; nam in omnibus illis Concionibus, quas usque ad ASCENSIONEM habuit; nullibi vel verbulo Petrum monuit, ut Causam suam armis vindicaret; sed IMITATIONEM sui, & CURAM OVIUM seu ANIMARUM præcepit: Et Paulus, qui optimè Intentionem Christi sciverat, Militiam Christianorum planè aliter describit: ARMA, inquit, MILITIÆ NOSTRÆ non sunt CARNALIA, sed SPIRITUALIA.

L Si

Si itaque Christus non amplius vivens in Statu Exinanitionis, sed apertè profitens, Matth. 28. quod sibi DATA sit omnis POTESTAS in Cœlo & in terra, tamen nihil Petro dixit, de SECULARI POTESTATE; nec Petrus unquam munere Apostolico defungens vel verbulo mentionem fecit, Potestatis, & Juris Armorm; sed oppositum docuit.

Unde quæso possibile est, ut JUS istud ARMORUM sibi arroget Pontifex? cum omnia sua JURA à Petro derivet.

Cur non consulit, *Clemens* noster Antecessores suos, atque inter eos primò Gregorium I. cujus vitam & doctrinam si posteri secuti fuissent, tum longè aliam faciem haberet Ecclesia, is autem *in lib.* 7. *indict.* 1. Ep. 1. ad *Sabinianianum diaconum*: Unum est, *inquit*, quod suggeras serenissimis *dominis* nostris (Cæsaribus) quod si ego in MORTE Longobardorum me miscere voluissem; hodie Longobardorum Gens, nec *Regem*, nec *Duces*, nec Comites haberet; atque in summa esset confusione. Sed QUIA DEUM TIMEO, IN MORTEM ALICUJUS HOMINIS MISCERE FORMIDO.

Gregorius Pontifex in nul ius hominis mortem se miscere vult. Clemens XI. præcipit ut Cæsareus miles nefariè trucidetur! Quanta differentia inter Gregorium Pontificem Rom. & Clementem!

Martinus P. in Ep. ad Theod. inquit. *Quod preparati non fuerimus ad repugnandum*, id exinde est, quod MELIUS JUDICAVI DECIES MORI, QUAM ALICUJUS HOMINIS SANGUINEM IN TERRAM EFFUNDI. Attendat ad ista *Clemens*.

Damianus S. R. E. Card ait. *Si pro Fide, qua universalis vivit Ecclesia nunquam ferrea corripi arma conceditur; quomodo pro terrenis ac transitoriis Ecclesiæ facultatibus loricatæ acies in glacios debacchantur?*

Plura alibi: Obsignamus hæc MANDATO *Cæsaris justissimo*, *ex cujus alto benedicat Majestatis imperatoriæ defensor DEUS*.

MAN-

MANDATUM CÆSARIS JUSTISSIMUM,

&

Æterna memoria dignum, contra injustissimas Clementis XI.

BULLAS.

JOSEPHUS Divinâ favente Clementiâ Electus Romanorum Imperator semper Augustus &c.

COmpertum est omnibus, novissimorumque temporum series demonstrat, quam insigni curâ, labore ac sumptu hostes ex Italia ejecti sint, atque huic libertas, quam vis Gallica labefactarat, victricibus nostris Fœderatisque armis feliciter restituta, ut proinde persuasi omnino fuerimus, neminem potuisse è totius Italiæ proceribus reperiri, qui non esset gaudium propterea & condignum erga Nos amorem gratitudinemque testaturus.

Verùm memorare nunc, haud absque JUSTO DOLORIS SENSU, cogimur, Ministros Curiæ Romanæ, seu ALIENI INSTINCTU GENII, seu proprii qualiscunque emolumenti fiduciâ eò abreptos esse, ut ausi fuerint, ad stuporem universi, & cum Reipublicæ Christianæ scandalo, SECULARIBUS IN REBUS SPIRITUALIA arma intentare, scriptum, typo impressum in vulgus edere, ejus tenoris, ut habita declarationis clausularumque ejus omnium ac singularum attentâ consideratione, non possumus non graviter inter cætera ex eo commoveri, quòd antiquissima NOSTRA ET IMPERII

 ROMA-

ROMANI in Italia, atque inde dependentia Ducatûs Mediolanensis JURA in PARMAM ac PLACENTIAM, velint à Romana Curia, per assertionem dominii quasi sibi competentis, præsidenter convelli, cùm plenâ historiarum fide & ipsis Investiturarum per Prædecessores Nostros Romanorum Imperatores datarum tabulis, aliisque actibus evidentibus, in hunc usque diem constet, *directum, supremum & Majestaticum dominium in præfatam Parmam Placentiamque, non nisi Nobis sacroque Romano Imperio competere, legitimosque Ducatûs Mediolanensis Possessores desuper investiri.* Ostendi profectò nequit, directum hoc & supremum dominium, reservatumque Majestaticum, *ab ullo unquam Imperatore abdicatum esse, aut sine expresso Ejusdem ac Imperii consensu à Ducibus Mediolanensibus abdicari, cedi, vel transferri*, multò minùs à Curia Romana validè usurpari, ab eave per Duces Parmenses legitimè recognosci potuisse. Innuunt hoc plures historiarum libri & prolixè simul notant, quæ hac in materia pro conservatione Jurium Imperialium non interrupto ordine peracta sint. Neque latet publici status peritos, quantoperè Prædecessores Nostri, & speciatim Carolus quintus gloriosæ memoriæ, Cæsarea sua Imperiique Jura, non in curriculo vitæ solùm, sed ultimæ etiam voluntatis elogio, sit tuitus testatusque. Et aliunde sat liquet, Imperialia Jura sic esse Imperio innexa, ut ab illo, sine totius assensu, nequaquam separari, multoque minùs ab invito *per Bullas Pontificias, qualibuscunq; fulminum minis refertas*, abstrahi & separari queant.

Irritus idcirco labor fuit, & vix non explosione dignus, quo allegati in supradicta Declaratione Pontifices judicium in causa propria arrogare, &, ope Bullarum ejusmodi, Jura tertiorum sibi asserere conati sunt. Nec certè potest intelligi, quid in mentem Romanæ venerit Curiæ, quando à militia Nostra bona Ecclesiæ invadi scripsit, cùm sciat aut scire saltem debeat Nostra & Imperii esse feuda, in quæ miles dispertitus est; alimenta quoque vitæ necessaria tantoperè per Jus naturæ ac gentium privilegiata haberi, ut possint etiam in territorio neutrali tunc potissimum quæri sumique, cum sustentatio in propriam alentis defensionem præservationemque ab ulteriore hostili damno & periculo cedit: quales circumstantias in præsente inveniri casu, & per Canones, leges, rationemque status, ad communia onera ipsummet Clerum pro pace ac libertate stabilienda obligari, nemo est, qui non videat; præsertim illa in provincia, in qua & mos hujusmodi antiquus circa communionem tributorum militarium servatur, & possessiones Cleri Parmensis tam amplæ existunt,

ut

ut quartam Ducatûs integri partem penè exsuperent. *Indignum itaque Clericali felicitate est visum*, quòd, cum alii eguerint, *ipsa tenacitatem suam prodere*, nec cum Laicis, quanquam instanter à Commissario Nostro Imperiali solicitata, ne ad obulum quidem erogandum, concurrere voluerit, sed *pertinaci suo refractarioque inhaeserit proposito*, quamvis ipse consensus Pontificius pro collectis ad communem necessitatem utilitatemque conferendis, non sine illustri reverentiæ nota in tractatu per dictum Commissarium Nostrum conclusis fuerit reservatus.

Quæ omnia & plura alia, quibus tam providè ac justè ex parte Nostra procedi placuit, adeò luculenta sunt Nostræ æquitatis & Muneris Cæsarei legitimè exerciti testimonia, ut, ex quo Juris fonte acres istæ superiùs expositæ Censuræ spirituales confestim profluxerint, dispicere haudquaquam valeamus. Fecimus quod Nostra & Imperii Jura postulârunt; & eo quidem modo fecimus, quem Constitutiones Imperii, illarumque usus dictavêre, ac singularis etiam observantia, quâ communem Christianitatis Patrem Sedemque Apostolicam extra partium studia prosequimur, desiderare visus est; prout Cardinalis Grimani negotiationes complures, tum *pro impetrando superfluo Pontificis assensu, tum ad remonstrandum auctoritatis Ecclesiasticæ, praeproperè nimis ac perperam adhibitæ, abusum*, non uno loco convincunt.

Observamus exempla in simili collectarum & onerum Ecclesiasticorum genere, sed modo agendi prorsus dispari cum hostibus Nostris, ut ut communem Europæ libertatem infestantibus, & nullo favore dignis! *quibus tamen à Romana Curia vel consensus etiam sæpè contra fas ipsum praebetur subitò, vel ita indulgetur connivetur q̄, ut animositas contraria*, qua & Nos liberrimè in conspectu totius Mundi impetimur, & aperta Nostra ac Imperii Jura passim verbis, typis, factisq; impugnantur, *jam pridem duriorem in Nobis motum excitâsset*, nisi hunc innata bonitas Austriaca & alia momenta intuitu Sanctæ Ecclesiæ mollivissent. Et vellemus adhuc ulteriùs longanimitatem Nostram, ETSI JAM AB ORIGINE NOSTRI REGIMINIS CÆSAREI *sat lacessitam*, lubenter manifestam reddere *si in omittendis Nostrorum & Imperii Jurium defensionibus longior mora permissa foret, possemusque erga DEUM & posteros de illa rectè excusari*; Nunc autem, cum in contrarium à lege Divina & humana, rectâ ratione, Gentium jure, aliis Justitiæ pietatisq; principiis moneamur. Hinc omnibus istis ac singulis innixi, nec non juratæ Capitulationis Nostræ Constitutionumque Imperialium memo-

nes, adhibito Consiliariorum Nostrorum arcanorum, totiusque Consilii Nostri Imperialis Aulici scrutinio, consultis etiam extraneis præstantibus Theologis, Canonumque & Legum civilium peritis, pro Nostrorum atque Imperii Jurium tutela, *declaramus supra insertam sic dictam nullitatis Declarationem, inanem, irritam, & nullam, simulque Excommunicationem in ea expressam, aut si quæ alia hujuscemodi prætenditur, aut prætendi potest, omnino pro invalida reputandam esse, eoque minùs hanc subsistere, quò evidentiùs patet ejusdem requisita* (nimirum peccatum mortale, contumaciam in notabili errore, præviam personarum citationem, &c.) *defecisse, ac deficere, scriptumque Romanæ Curiæ, non ad defendendam hæreditatem Domini, sed ad Jura Imperialia super Ducatibus Parmæ ac Placentiæ porrò usurpanda, tendere.*

Et cùm juxta Sanctorum Patrum Conciliorumque mentem, non illis, quibus, *sed his, à quibus injustè infliguntur, timendæ sint Censuræ*, Nos Judici omnis carnis, cordiumque scrutatori, omnipotenti DEO, sicut & cuilibet mortalium ab affectibus libero, discernendum atque æstimandum relinquimus, quid oporteat de ploratu Cleri sentire, qui tunc aures obduratas habet, cùm Nostri ac Sacri Romani Imperii hostes in Germanicis Italicisque Provinciis, imò in ipsis Pontificum Ditionibus, Ministros DEI & Ecclesiæ pro libitu opprimunt, crudeliterque discruciant; in Nos verò & Serenissimum ac Potentissimum Principem Dominum Carolum tertium Hispaniarum Regem, ac adversus Neapolitanum Regnum, Sabaudiæque Ducem, tunc primùm insurgit, cùm Nobis & justæ causæ nostræ tam prospera affulsere sidera, ut ex hostilibus prævalidisque manibus sit cum aliis Italiæ oppressæ partibus Neapolis & Belgium prodigiosè ereptum.

Ad perpetuam præterea rei memoriam tenore præsentium declaramus, & efficacissimè, quantum opus, protestamur, nullum omnino Jus, & multò minùs directum supremumque dominium in Parmam & Placentiam Sedi Romanæ à Nobis dimitti, neque dimitti posse, quin potiùs omnia & singula suprema dominia, quæ in Prædecessorum Nostrorum Nostrumque præjudicium usurpata sunt unquam, & adhuc usurpantur, quocunque etiam nomine appellentur, Nobis & Sacro Romano Imperio firmiter reservamus & confirmamus omni meliori formâ ac modo *cunctas possessiones illegitimas & prætensiones*, exceptis iis, quæ ex magnanimitate & magnificentia Cæsarea in antedictam Sedem expressim

translatæ

translatæ sunt, *annullando, abolendo & cassando, eoque magis pro nullis, injustis ac invalidis declarando*, quò manifestiùs per se corruit, *quicquid Imperatoriæ Majestati, clam palamve, auctoritate propriâ subtractum est*, aut etiam ab Imperatore extra normam debitam alienari nequiit. *Solennissimè pariter & speciatim Romanæ contradicimus Curiæ prætensam illam quoad Jura tertiorum bonave temporalia potestatem*, qua in Bullæ Pontificiæ exercere præsumunt, *cùm hæ, nec valida hòc in genere, nec recepta sint, quibuscunque insigniantur nominibus, & Nos Romanumque Imperium obligare non possint debeantve, neque facultatem Nos ullam admittamus, aut tolerare possimus in sæpefata Curia*, quæ cassare vel annullare conetur ea, quæ Nos vi Muneris Authoritatisque Nostræ Cæsareæ disponimus ac ordinamus, nullatenus dubitantes, quin Conventus universi Imperii, ac omnes ejusdem Electores, Principes, & Status Vasallique ac subditi, *consilio Nobis ac auxilio suo efficace, ubi opus fuerit & ordo rerum demandarit, sint actutum adstituti.*

Iteratò igitur, & deliberato animo, sanoque & maturo accedente consilio, atque ex plenitudine potestatis Nostra Cæsareæ, hisce publicè declaramus, CONTRADICIMUS, ABOLEMUS, CASSAMUS, ET PROTESTAMUR, *ut suprà, solennissimo, quo potest fieri, pacto & modo, annullantes*, quicquid in sæpius memorato superiore scripto quoad formam aut materiam in præjudicium Nostrorum & Sacri Romani Imperii Jurium, vel etiam contra Nostros Ministros, Commissarios, Milites vel alios quoscunque, exprimitur, aut intellectum videri potest. *Inhibemus quoque omnibus ac singulis Ecclesiasticis ac sæcularibus* Nostris & Imperii Vasallis, Ministris ac subditis, *sive in terris Ecclesiæ, sive in Ducatibus Parmæ aut Placentiæ* sive alibi existentibus, *sub gravissima Nostra & Imperii indignatione, omnium bonorum confiscatione, corporalique pœna, ne quam rationem ejus, quod in adducto scripto continetur, in ulla re habeant, sed districtè mandamus, ut Nostris Jussibus, & ordinationibus constanter & debitè pareant, dum vicissim protectionem Nostram Clementiamque Cæsaream fidelibus ac obedientibus impertiri non intermittemus*; Monituri idcirco etiam modo debito *Parmensem Ducem*, ut nullum aliud dominium quam Nostrum & dicti Hispaniarum Regis Fratris Nostri charissimi, utpote legitimorum Ducatûs Mediolanensis respectivè Dominorum & Possessorum, ratione Parmæ ac Placentiæ recognoscat, cùm potissimùm etiam aliunde in propatulo sit, quòd respondere

dere Nobis de Nostris & Sacri Romani Imperii Juribus non immeritò teneatur.

Rogamus denique Omnipotentem ac Justissimum DEUM, ut ardentem omnibus & sincerum honestæ, fide ac perpetuæ pacis concordiæque amorem instillare; Nobismet autem largiri gratiam dignetur, quà continuò & fortiter, quæcunque ad Nos & Sacrum Imperium pertinent, tueri valeamus, cum submississima gratitudine totum id, quod CÆSARIS EST, Divinæ Majestati acceptum ferentes, *publicaque hâc Declaratione, Protestatione & Reservatione repetitâ profitentes*, circa TEMPORALIA IMPERII BONA & Jura, nihil ALTERI cuipiam, nisi quod expresso Prædecessorum Nostrorum & Imperii CONSENSU munitum est, atque in specie nullum dicti Imperii Dominium temporale SUPREMUM legitimè unquam competere, asseri, aut vindicari posse, *iis omnibus ac singulis*, quæ secus facta sunt aut reputantur, *hisce* PRONUNC *ut* EXTUNC, *& pro tunc ut ex nunc, ac futuris æternum temporibus, quàm fieri potest solennissimè, gravissimè, firmissimeque contradicentes, vigore Diplomatis hujus*, Manu Nostrâ subscripti, & sigillo Nostro Cæsareo muniti, quod dabatur in Civitate Nostra Viennæ, die vigesimâ sextâ mensis Junii, Anno Domini Millesimo septingentesimo octavo, Regnorum nostrorum, Romani decimo nono, Hungarici, vigesimo primo, Bohemici verò quarto.

JOSEPHUS.



Vt. Frid. Carolus Comes de Schönborn.

Ad Mandatum Sacræ Cæsar. Majestatis proprium.

Franciscus Winandus de Bertram.